

Stock

MICHAELIS

SAVRÆ VALEN-

TINI GRAMMATICÆ

Institutiones Latinæ linguæ

Tyronibus utilis-

simæ-

Sauræ

Sine arrogancia dictum



Sauram cogitantes

ut ex vnguibus

Leonem: sic ex dictis

PAMPILONÆ

Ex officina Thomæ Porrali Sabaudiensis,

Anno ab ortu Christi

1577.

Handwritten signature or scribble at the bottom of the page.

Handwritten notes on the right side, including 'P. 55' and other illegible characters.

Handwritten notes on the right side, including 'Sicut' and 'Tunc'.

Handwritten notes on the right side, including 'et ortu'.

Handwritten notes on the right side, including '12' and other illegible characters.

Handwritten notes on the right side, including '1711'.

Handwritten notes on the right side, including '1711'.

REG	
TITN	
SIG	



Michael Saura Valentinus
 candido Lectori
 S. D.



PESSIME sentiunt, qui Grammaticæ præcepta omnino usua esse credunt, et Latinam linguam sola auctorum lectione parari posse sibi persuadent. Qui enim sine præceptis, nimirum, sine uera partium orationis cognitione; e arundem compositione, cuiusq; syllabe recta pronuntiatione, & orthographia: pueri rectè scribent, emendatè loquentur, & ad grauiores disciplinas accedent feliciter parati: Planè his neglectis, vel anno suorum studiorum sexto solecismis sciant; atq; in omni congressu turpiter obmutescunt: & quòd maximè dolèdum est, celeberrimos doctores hac ætate nostræ uidemus barbarè uastèq; sæpe numero loqui. Ne igitur has infamiae notas discipuli nostri subirent, ne uè præceptionum multitudine perturbarentur; libellū huic breuem & facilem, puerisq; instituendis apprimè utilem in lucem emittere conati sumus. Reperitur quidem in hac arte una erudiendi, ratio certaq; via, qua cognitis semel principijs, literarum amatores ad insignes audiens

audiendos autores deducuntur: tum ad subitam lo-
quendi facultatem, & ad exercendum stylum. Por-
rò nec parui refert, ad ingenij cultum, animiq; in-
formationem preceptore vti in bonis artibus felici-
ter versatos; & si assiduus vsus, ac frequens dicendi,
scriuendiq; exercitatio plurimum iuuent. Cupiens
itaq; vel infantulis prodesse, & literarie reipubli-
ce vtilissima quæq; ex optimis decerpsi scriptori-
bus: atq; sic descripsi, ut ne discendi molestia adoles-
centulorum frangerentur ingenia, nec desperatione
eorum languesceret industria. Nulla itaq; labore si
hæc scripta mea attentè legerint; singularum vocum
attributa & affinitates ediscant: tum ipsius oratio-
nis partes aptissimè collocare, singula verba modu-
latè proferre; ac proprijs literis scribere, planè
scient. Benè vale, Pāpilonæ calendis Septembris,
anno ab ortu Christi. 1577.

Michaelis Saureꝛ Valen- tini Grammaticæ Inſti- tutiones.



Grammatica ſcientia eſt, quæ rectè ſcribere, & purè loqui, ex uſu ſcriptorum elegantium docet; nimirum, Terentiꝛ, Virgiliꝛ, Cæſariſ, & Ciceroniſ. Cuius partes ſunt quatuor, Etymologia, Syntaxis, Proſodia, & Orthographia.

DE ETYMOLOGIA.

Etymologia eſt pars Grammaticæ, Methodicæ, quæ uariis ex attributis uim, & naturam partium orationis inquiri.

Partes orationis octo ſunt, nomen, pronomen, uerbum, participium; præpoſitio, aduerbium, interiectio, coniuñctio: ex his primæ ſectantur, ultime uerò ſecti non poſſunt.

DE NOMINE.

Nomen eſt pars orationis, quæ ſectitur per caſus, ſine ulla certi temporis ſignificatione, ut Muſa, Muſæ.

Grammaticæ

Nomen duplex est, unum substantiuum, cui præponitur unus articulus, aut duo: ut hic dominus, hic & hæc homo. Quod nomen rei uel fixum uocant.

Alteram adiectiuum, cui uel tres articuli præponuntur: ut hic, hæc, hoc prudens: uel declinatur tribus uariis uocibus: ut bonus, bona, bonum. Dicitur etiam Epitheton, Accidens, & Mobile.

Observatio, Articulus est generis index, uel nota. Articuli tres sunt, hic, hæc, hoc: hic nominibus masculinis: hæc femininis: hoc uero neutris tribuitur.

Nominis attributa sex sunt, declinatio, genus, casus, numerus, species, & figura.

Declinatio est alicuius uocis per casus uariatio.

Declinationes nominum quinque sunt: Prima, quæ facit, gignendi casum singularem in æ, diphthongum; ut Musa, Musæ: Secunda in i; ut dominus, domini: Tertia in us; ut sermo, sermonis: Quarta in us, uel u; ut sensus, sensus; uerū, uerū: Quinta in ei; ut dies, diei. De quibus alibi copiose dicemus.

Genera Nominum septem sunt: Masculinum, cui præponitur hic, ut hic dominus: Femininum hæc ut hæc

Institutiones.

4

hæc Musa: Neutrum hoc, et hoc templum: Communæ, cui præponitur hic & hæc; ut hic & hæc homo: omne, cui tres articuli insunt, uel totidem fines uarij; ut hic, hæc, hoc fœlix; urbanus, urbana, urbanum: Dubium est, quod modo masculinum, modo femininum inuenitur; ut dies & finis: Promiscuum est illud, quod una uoce utrunq; sexum complectitur; ut hæc aquila, hic miluus.

At nomen generis tribus modis cognoscuntur, significatione finis; & auctoritate.

Casus nominum septem sunt, nominans, gignens, dans, accusans, uocans, auferens, et efficiens. Rectus, patrius casus, tertius, quartus, quintus, sextus, & septimus. Qui pronominum, & participiorum etiam sunt,

Omnis nominatiuus, cuiuscunq; dictionis sit, & Anotatio numeri, est tertiæ personæ, ego uero primæ; tu secundæ, cum uocatiuis omnibus. At ipse omnes personas assumit.

Numeri nominum duo sunt, singularis, qui unum significat; ut puer: pluralis, qui multos, ut pueri. Verum totidem in pronomine, uerbo, & participio inueniuntur.

A 4

Omnis

Grammaticæ

Species nominum duplex est, primaria, quæ non aliunde ducitur, ut mons: & derivata, quæ ab alia dictione trahit originem: ut montanus à monte. Quæ in aliis ferè partibus item duplex reperitur; ut ego meus: calco, caleſco; pulchrè pulcherrimè.

Sunt & alia nominum formæ, proprium, commune, antecedens, relatiuum, redditiuum, & partitiuum.

Proprium est, quòd uni tantùm conuenit; ut Michaël, Ioannes. Commune uerò quòd pluribus: ut mulier, uir.

Antecedens est, quòd à relativo refertur, ut Cicero est imitandus, qui parens eloquentiæ habetur.

Relatiuum est, quòd rem iam positam tacitè repetit; ut uir, qui nos instituit, is colendus est.

Partitiuum dicitur, quòd significat multa sigillatim: ut qui, quæ, neuter, uel unus e multis: ut alius, alter, reliquus.

Redditiuum illud appellatur, quòd relatiua ipsa aut præccedit, aut sequitur: ut, Quot homines, tot sententiæ: Talis est uir, qualis oratio.

Figura

Institutiones. 5

Figuræ nominum, atq; aliarum partium duæ sunt: Simplex, ut doctus, is, scribo, amans, abs, inde, heu, nam. Composita, ut indoctus, idem, rescribo, adamans, absq; deinde, cheu, namq;.

Figura uerò est, quæ dictionem simplicem, à composita distinguit.

At nomina tribus modis componuntur: primo è duobus integris; ut Respublica, iusiurandum: altero, ex uno tantum; ut omnipotens, inrisor saltus: ultimo deniq; è duobus imperfectis; ut eiusmodi, huiusmodi, cuiusmodi.

De Pronomine.

Pronomen est dictio, casibus declinata, quæ uicè neminis proprij ponitur: ut ego, tu, ille.

Pronominis affectiones tres sunt, quod nominis esse diximus.

Declinationes Pronominum quatuor sunt. Prima, quæ facit genituum singularè in i: ut ego, mei, tui, sui: Secunda in ius; ut iste, istius, ille, illius: Tertia, in i, e, i; ut meus, mea, meum; mei,

Grammaticæ

meæ, mei: Quædam, in is, ut nostras, nostratis, uestras, uestratis.

Genera pronominem quatuor sunt: Masculinum, ut meus: Fœmininum, ut mea: Neutrum, ut meum: Omne, ut ego, nostras.

Annotationio.

Quinto casu utriusq; numeri pronomina carent omnia; præter tu, meus, noster, & nostras. Sui caret utrobiqu; nominandi casu.

Pronomina sunt decem & quinque: octo primæ speciei; ego, tu, sui, hic, iste, ille, ipse, is: Derivatæ autē septē: meus, tuus, suus, noster, uester, nostras, & uestras

A genitio mei, nascitur meus: à nostrum, noster, & nostras: à tui, oritur tuus: à uestrum, uester & uestras: à sui uerò fit, suus, sua, suum.

Pronomina uariè componuntur: primum inter se isthic, isthæc, isthoc, uel isthuc: deinde cum aduerbijs; ut eccum, eccam: pro ecce eum, ecce eam: postremò cum syllabicis adiectionibus, me, te, ce, pe: ut egomet, tute met, ne iudicetur tertia persona uerbi tumeo, tu-te, hiee, huiusce, neapte, sapte.

Tanquam Pronominum uis, est quidem uaria demonstratio-

Institutiones. 6

strator: a sunt, ego, tu, hic, iste, ille: rellata, ipse, & u:
reciproca, sui, & suus: gentilia, nostras & uestras:
possessua, meus, tuus, suus, noster, & uester.

De Verbo.

Verbum est pars orationis, quæ flexa cum mo-
dis & temporibus, sine casu, rem esse, uel agere, uel
pati significat.

Affectus uerbi octo sunt, coniugatio, genus, mo-
dus, tempus, numerus, persona, species, & figura:

Coniugationes uerborum quatuor sunt: Prima,
quæ habet secundam personam indicantis modi in
as, & a, longum ante re, in infinito; ut amo, amos,
amare: Secunda, in es, & e, productum ante re, in
infinito; ut doceo, doces, docere: Tertia, in is, & e,
breue ante re, in infinito; ut lego, legis, legere: Quar-
ta in is, & i, longum ante re, in infinito; ut audio,
audis, audire.

Coniugatio est uerbi per modos & tempora
uariatio.

Genera uerborum quinque sunt, agens, patiens, neu-
trum, deponens, & commune.

Grammaticæ

Item Modi quinque sunt: Indicans, Imperans, Op-
tans, Subiungens, & Infinitus.

Tempora etiam quinque: Præsens, ut amo: Præte-
ritum imperfectum, ut amabam: Perfectum, ut ama-
ui: Plusquamperfectum, ut amaucram: Futurum, ut
amabo, amauro.

Tæpus præsens, præteritum perfectum, indicatis mo-
di, & supina, non formantur. At quinque tæpora in re,
sẽ, rim, ro, et sse finita; à præterito perfecto formari
solent: cætera vero tæpora formavit præsens.

Personæ uerborum tres sunt: Prima, ut audio: Se-
cunda, ut audis: Tertia, ut audit.

DE PARTICIPIO.

Participium est vox, à uerbo semper ducta, casi-
bus flexa, cum tempore; ut amans, amantis.

Participij consecutiones septem sunt: tempus, sig-
nificatio, declinatio, genus, casus, numerus, &
figura.

Tæpora participiorum tria sunt: Præses, ut amans:
Præteritum, ut amatus: Futurum, ut amaturus,
amandus.

Signifi-

Institutiones.

7

Significationes duæ: agens, ut amans, amaturus: patiens, ut amatus, amandus.

Genera participiorum quatuor sunt: masculinum, ut amatus: foemininum, ut amata: neutrum, ut amatum: omne, ut amans, amantis.

Participia in rus, uel in dus finita, per primam, & secundam nominis declinationem flectuntur: at in ens. & ens, per tertiam. Annotatio,

Participia presentis temporis formantur à prima persona præteriti imperfecti indicantis modi, bam, uel bar, in ns, mutatis: ut amabam, amans: legebam, legens: loquebar, loquens: luctabar, luctans.

Quæ in rus, tus, xus exeunt, fiunt à posteriori supino, rus addita: uel s, adiuncta: ut uisu, uisurus, uel uisus: amatu, amaturus, uel amatus: pexu, pexurus, uel pexus.

Participia uerò in dus, à gignendi casu participij presentis temporis manant, tis in dus mutata, ut amans, amantis, amandus.

Participium genus, casus, & declinationem habet à nomine; tempus & significatio à uerbo: at numerus & figura utriq; sunt communia. Observatio.

De

Grammaticæ
DE AFFINITATIBVS, VEL
conuenientiis partium
orationis.

Nomen substantiuum cum adiectiuo, pronomine, & participio in tribus, genere, numero, & casu conuenit, pax optima; mos tuus, lectio audita.

Antecedens cum relatiuo, genere, numero, & persona concordat; ut uir qui, mulier que.

Nominatiuus cum uerbo finiti modi, in duobus, numero, personaq; consentit: ut literæ florent, uirtus uict.

De Præpositione.

Præpositio est pars orationis, que cæteris ferè præponitur seiunctim, aut cum illis coniunctim componitur; ut ad urbem profectus est, absq; depono.

Præpositionis affectus duo sunt, casus & figura.

Casus tres: gignendi casui seruiunt, pridie, postridie, tunc.

Præposi-

Institutiones.

Præpositiones accusatiuum exigentes sunt; ad, apud, ante, aduersus, aduersum, cis, citra, circum, circa, circiter, contra, erga, extra, inter, intra, infra, iuxta, ob, pone, per, prope, propter, propius, proxime, pridie, postridie, post, procul, penes, præter, supra, secundum, secus, trans, usq; , ultra, uersus, uersum.

Sexto casui præponuntur, a, ab, abs, absq;, cum, coram, clam, de, è, ex, pro, præ, palam, sine, tenus.

In, sub, super, & subter, quartum, & sextum casum recipiunt. Quarto casui destinata sunt, cum uerbis motum significantibus iunguntur: Sexto, enim cum quietem.

An, con, dis, di, re, se, semper compositæ reperiuntur: ut ambio, conscribo, disputo, dixico, repto, separe.

Cum, usq;, tenus, & uersus postponuntur, sed priores duæ non semper; posteriores uerò perpetuo, ut nobiscum agebat, & cum dictatore: Cicere, Qui, tus usq; Putolos uenit: Terentius, Miletum usq;: Valentiam uersus, crurum tenus. Hinc manant hæcenus, & quatenus.

Observationes tres.

At

Grammaticæ

At præpositiones in compositione, augere, minuire,
& mutare aliarum partium significationem pos-
sunt; ut per difficilis, subtrahis, dimico.

Verum præpositio sine casu, aduerbium erit; ut
Cum scriberem pueruenit; propè sunt hostes.

De Aduerbio.

Aduerbium est, quod verbo, nomini, aut partici-
pio iunctum, eorum significatioñ illustrat, ut rectè
scribit, est mirè facundus: manet vehementer iratus.

Aduerbij consecutiones tres sunt, significatio, spe-
cies, & figura,

Aduerbia affirmandi sunt, etiam, certè, nã, sic, ita,
quidni?

Comparandi, magis, minus, maximè, nimum.

Confirmandi, profecto, itaq; sanè, planè.

Congregandi, simul, vna, pariter, non solum, non
modo, non tantum, sed etiam, verum etiam.

Demonstrandi, en, ecce.

Dubitandi, fortè, fortassè, forsan, forsitan.

Eligendi, potius imò, quinimo.

Euentus, fortefortuna, fortuito.

Hor-

Institutiones.

9

Hortandi, *cia*, *age*, *agite*, *agedum*.

Intendendi, *in ignotèrè*, *impensè*, *valdè*.

Interogandi, *cur?* *quare?* *quamobrem?*

Iurandi, *Hercule*, *Poll*, *Aedepoll*, *medius fidias*.

Locù, *ubi*, *hic*, *hùc*, *hàc*, *hinc*, *foras*, *intro*.

Negandi, *non*, *minimè*, *haud*, *nequaquam*.

Numeri, *semel*, *bis*, *ter*, *quater*, *quinquies*.

Ordinis *primus*, *de inde*, *præterea*, *postremo*, *cœterum*, *ad hæc*.

Qualitatis, *facundè*, *peritè*, *elegantèr*, *benè*, *doctè*,
fulchrè malè.

Quantitatis, *multum*, *parum*, *satis*, *tantum*, *quantum*.

Remittendi, *vix*, *ægrè*, *sensim*, *paulatim*, *pedetètim*.

Separandi, *scorsum*, *priuatim*, *egregiè*.

Similitudinis, *ceu*, *quasi*, *velut*, *sicut*, *tanquam*, *ut*, *uti*,
perinde.

Temporis, *hodie*, *heri*, *nunc*, *nuper*, *cras*, *olim*, *pridem*, *manè*, *madò*, *pèrcendiè*.

Vocandi, *heus*, *ô*.

De Interiectione

Interiectio est sonus, animi affectum inconditè significans, cui duo accidunt: significatio & figura.

Abijcientis interiectio est, *Apage*.

Exclamantis, *oh*, *proh*.

Ad

Grammaticæ

Admirantis , pape.

Fastidientis , ohe.

Dolentis, hei, heu.

Indignantis , vah.

Laudantis , euge,

De veiv Ridentis , ha , ha , he.

Minantis , vae.

Sciscitantis , amabo , sodes.

Optantis , vti nam.

Vocantis , ehodum.

Pauentis, at, at, au.

De coniunctione.

Coniunctio est pars orationis, quæ reliquas inter se coniungit ; vt Ego & tu , pares & equals sumus.

Coniunctionum affectus tres sunt, significatio, ordo, & figura,

Significatio. Aduersantes sunt, at, sed, tamē, et, si, tametsi, quamquam, quamuis, licet, verò autem.

Colligentes, ergo, igitur, proinde, quo circa, quare, quomobrem.

Copn-

Institutiones

10

Copulantes, & , que , atq; , etiam , ac cum , tum.

Disiungentes , aut , vel , nec , siue , seu.

Explentes , quidem , e quidem , sed enim , at enim ,
enimvero.

Causales , quia , enim , etenim , nam , quòd , propte-
rea quòd , quoniam , quippe , quando , quandoquidem ,
utpote , siquidem , ni , nisi , ut.

Triplex est coniunctionum ordo , at , et , ac , atq; , aut Ordo
ut , nec , nisi , quatenus , siue , semper præferuntur.

Enim , que , ne , ue , quidem , quoq; , autem , & verè ,
perpetuo postponuntur.

Communes autem sunt , e quidem , igitur , ergo , ta-
men , itaque.

Atq; satis diximus de partibus orationis.

DE NOMINVM DECLINA- tionibus.

Nomina neutra cuiuscunq; declinationis , singu-
la tres casus similes obtinent in utroq; numero nomi-
nandi,

Grammaticæ

nandi, accusandi, & vocandi: quorum plurales semper desinunt in a, vt *templa, tempora, cornua.*

Vocatiuus vtriusq; numeri, serè semper nominandi casui similis est.

Datiuus & ablatiuus plurales, similes etiam sunt, in omni declinatione.

De prima declinatione, ¶

Prima declinatio quinque fines habet in recto singulari, a, e, as, es, am, vt, *Musa, Rhetorice, Aeneas, Anchises, Adam.*

Observatio, A, vocatus seruit Latinis, e, as, es, Græcis: am verò Hebræis. At hæc multò rectius in us, desinit; vt *Adamus, i Abrahamus, i.*

Numeri vnus gignens casus in, æ, diphthongon fit, vt *aula, æ, pista, piste.*

Nam *aulai, & pictai, poëtis* relinquuntur.

Nomina Græca in e, finita, patrium casum mittunt in es, vt *Rhetorice, Rhetorices.* Sed rectius Latine flectuntur: vt *Rhetorics, Rhetoricæ.*

Est

Institutiones.

II

Est autem diphthongus duarum vocalium connectio; ut *Musæ, pœnæ, audio, euge.*

Numeri multitudinis dans & auferens casus in *is*, finire solent: sed ambæ, & dux in *abus*, item, *dea, equa, filia, nata, mula, liberta*; id. q; differentie causa.

Deus enim, equus, filius, natus, mulus, libertus, in *is*, desinent.

De secunda declinatione

Nominativus secundæ declinationis sex obtinet terminationes, *er, ir, ur, us, u, v*, & cas; ut *puer, vir, satur, dominus, templum, Orpheus.*

Genitivus singularis semper fit in *i*: ut *dominus, domini, amicus, amici,*

y Vocandi casum singularem in *e, fones*, ut, *ò domine, ò amice.* At *Deus, fluxus, & latinus*, simile recto habent *Filius* facit *ò fili.*

In *ius*, verò propria nomina, *ablata, us*, faciunt in *i*; ut *Horatius; ò Horatij, Terentias, Terentij.*

Ab

Grammaticæ

Ab, er, ir, ur, um, similes sunt vocatiui, nominatiuis.

Rectus pluralis fit in i; vt domini, amici. Deus, Dei, vel Dij facit.

In dandi verò & auferendi casibus deis, vel dijs habet.

De tertia declinatione.

Tertia declinatio penè infinitos continet fines; sed à quocunq; fine, is habet in genitiuo singulari; vt sermo, sermonis.

Accusans casus exit in em; vt sermonem. At in im, mittunt, sitis, tuis, Tigres, Tiberis, uis, accusatiuum. In em, et im, obtinent, buris, febris, manis, peluis, pulpis, restis, securis, turris.

Nomina verò Greca in em, & in a, desinunt, vt aer, aërem, & aera; Hector, Hectorē, & Hectora.

Vocans casus nominandi casui respondet; vt ò sermo. Sed in Grecis aufertur, s, rect.: vt Pallas, ò Palla; Paris, ò Pari.

Ablatibus singularis fit in e; vt à sermone. Hunc verò.

verò casum in i, habent nomina mensium, & neutra per el, ar, e, finita: & quæ in im, solum accusatiuum faciunt: vt Aprili, Quintili, Sexili, tribunali, puluinari, monili, siti, Tyberi. Plus quoq; facit pluri.

Far, gausape, iubar, & nectar, in e, exeunt.

Nomina, quæ in em, & in im, accusandi casum designant, in e, & in i, ablatiuum habent, vt febre, vel febrī. Et comparationis nomina, cum omnibus adiectiuis; vt à maiore, vel maiori; prudente, vel prudenti.

Item, hæc amnis, anguis, auis, ciuis, clavis, classis, ignis, imber, nauis, neptis, postis, pugil, strigilis, suppellex, vectis, vigil: atq; à verbis deducta; ut expultrix, meretrix, nutrix, iudicatrix.

De casibus numeri pluralis.

Nominandi, accusandi, & vocandi casus plurales, in es designant; ut sermones, sermones, ò sermones.

Genitiuus in am facit; vt sermonum, præterquam in nominibus in s, finitis equalibus syllabis in recto, & patrio casibus numeri singularis vt, vulpes, vulpium,

Grammaticæ

rium, ignes, ignium. At canis, iuuenis, panis in tum, solum retinent.

Nomina autem, ablatiuum, tam in i, quàm in e, & in i, facientia: in ium finire solent; ut collium, omnium. Et monosyllaba in duas consonantes abeuntia: ut artium, meritum, montium: quibus similia sunt, as, cor, dis, glis, lis, mas, nix, nox, os, ossis, uas, uadis, caro, & samnis. Quirites autem, quiritu facit:

Comparatiua nomina gignendi casum pluralem in um, obtinent: ut maiorum, pulchriorum: plus, plurium habet, & bos, boũ. Et hæc consors, inops, pugil, suplex, uigil; cum compositis a caput, ut biceps, bicipitum, municps, municipum.

Datiuus & ablatiuus plurales in ibus exeunt, ut sermonibus, à sermonibu: bos autem facit bubus, & bubus.

At Græca in, a, in is, sæpius cadunt, ut poëmatise: dogmatis; interdum in ibus, ut poëmatib⁹, dogmatibus.

De quarta Declinatione.

Quarta declinatio duas solū terminationes habet, us & us, sed hanc in singulari numero minime
decli

Institutiones.

13

~~non habet ius & est adhibendum in singulari in numero nomi-~~
ninae declinandam: ut hic sensus; hoc genu.

Genitivus singularis exit in us; ut sensus.

Dandi & auferendi casus plurales in ibus, designant: ut sensibus, genibus. Hæc autem in ubus, arcibus, artibus, & partibus: ut differant ab arce, arte, & parte, declinationis tertiæ. Verum sine discrimine dices, acubus, sicubus, lacubus, portubus, quercubus, quæstibus à quæror, specubus, tribubus: uerubus.

De quinta declinatione.

Rectus quintæ declinationis unica in es, terminatione contentus est: ut dies, res: quibus demptis, cætera huius inflexionis nomina gignendi, dandi, & auferendi casibus numeri multitudinis carent.

Iisdem æstituta leguntur, hæc tertiæ, ius, rus, mare, es, eris, & os, oris.

Et hæc de legitimis nominum formis.

De nominibus Anomalis.

NOMINA anomala sunt, quod mutant genus aut de-

Grammaticæ

aut declinationem, aut caret altero numero, aut deficit certis casibus in alterutro.

Hæc mutant genus, iocus, ioci; iocæ, iocorum, uel ioci: locus, loci; locæ, locorum, uel loci: balneum, balnei; balneæ, balnearum, uel balnea, balneariorum: pileus, pilei, pileæ, pileorum: cælum, cæli, cæli, cælorum; delitium, delitiij, delitiæ, delitiarum: epulum, epuli, epulæ, epularum: iussus, iussus, iussa, iussorum: euentus, euentus; euentæ, euentorum.

Variè declinantur, colus, coli; colus, colus: laurus, lauri; laurus, laurus: ficus, fici; ficus, ficus: pinus, pini; pinus, pinus: iugerum, iugeri; iugera, iugerum: acus, aci; acus, acus: domus, domi; domus, domus: uas, uasis; uas, uasorum.

Quæ sequuntur singulari numero carent, cancelli, orum; supi, orum; inferi, orum; liberi, orum; posteri, orum; carceres, um; lemures, um; cælitæ, cælitum; maiores, rum; nates, natalium; optimates, optimatum; proceres, rum; penætes, penatium; sales, salium; artus, artuum.

Item hæc, ædes, ædium; copiæ, arum; cunæ, arum; calendæ, arum; diuitiæ, arum; exubiæ, arum; exuuiæ, arum; inimiciæ, arum; illecebæ, arum.

arum; literæ, arum; minæ, arum; mundinæ, arum;
 nugæ, arum; nuptiæ, nuptiarum; nonæ, nona-
 rum; nares, narium; opes, opum; sordes, ium; the-
 mæ, arum; tenebræ, arum.

Eiusdem generis sunt, arma, armorum; castra, ea-
 strorum; incunabula, orum; cibaria, orum; iuga, ^{lata (nuptio)}
 orum: ^{partes, et cetera} ista, iustorum; cœnia, ium: Bucolica, Geor-
 gica, Oeconomica, Ethica, Politica.

At hæc plurali numero destituta leguntur, san-
 guis, fumus, mundus, nemo, Sol, Luna, vesper, carcer,
 uita, gloria, fama, gaza, fuga, culpa, memoria, elo-
 quentia, sapientia, diligentia, negligentia, auaritia,
 stultitia, insania, humus, mors, fames, sitis, lux, pax,
 salus, soboles, ^{et cetera} ipsoles, bilis, serpentes, fides,
 rabies, ^{et cetera} tussis, ^{et cetera} perniciēs, ^{et cetera} uulgus, ^{et cetera} uirus, ^{et cetera} pils, ^{et cetera} uer,
 ueris.

Nomina propria singularia carent plurali nu-
 mero: Et pluralia singulari: ut Scipio, Roma, Athe-
 næ, Cumæ.

Deficientia appellantur ea nomina, in quibus de-
 est uariatio per casus, aut numerus: aut cer-
 ti casus desiderantur: ut fas, nefas, nil, nihil,
 tot, quot, pondo, presio, nequam, opus,
 pro

Grammaticæ

pro necessitate: hoc etiam referuntur literarum nomina, ut a, b, c, cū nominibus numeri, quæ à tribus, usq; ad centum flecti non possunt.

Vocandi casu carent nomina interrogandi, negandi, distribuendi, & rellata, cum infinitis: ut quis? qualis? quantus? nemo, nullus, ambo, uterq; , alteruter, quidam, aliquis.

Fors, ò fors, à forte tres hos casus habet: ex spes, ò ex spes, nominandi & vocandi casus obtinet: tibi, à tibi, genitiuum & ablatiuum. Ditionem, à ditio: ne: laterem, à latere: uicem, à uice: accusatibum & ablatibum possident: uerum duo posteriora in plurali integra sunt.

O maeste ò maesti tantum in uocatio utriusq; numeri reperitur.

Sponte, natu, nectu, astu, auferendi casum singularem solum habent.

Vis, uim, ò uis, à ui: opis, opem, ab op: in plurali numero integra sunt.

Suppetias, & inficias in accusandi casu inueniuntur.

Verberis

Institutiones.

15

Verbere in ablatiuo singulari: at in numero multitudinis omnes casus obtinet.

Et hæc de nominibus anomalis, quæ interdum integra apud probatos authores reperies.

De verbis Anomalis.

Anomala uerba tria sunt, sum, fero, & uolo: mutila quidem plurima: sed hæc frequentiora, aio, inquo, queso: & es, est, pro edis, edit: forem, ausim, faxo, uel faxim, infit, cedo, pro dic, aue, salue: capi, memini, odi, noui.

Aio, ais, ait, aiunt. Aiebam, aiebas, aiebat, aiebamus, aiebatis, aiebant. Futuro, aiam, aias, aiat. Imperatiuo ai, participium aiens.

Inquo & inquam, inquis, inquit, inquirunt. Inquo præterito, inquisti, inquit. In futuro, inquies, inquiet, uel inquit, inquierent. Imperatiuo, inque, inquirat: futuro, inquito.

Queso, quesumas, in primis utriusq; numeri per quæso sonis in usu est.

Es, est, pro edis, edit, in presenti optantis modi **Es, Est.**

Grammaticæ

modi, atq; in præterito imperfecto subiunctivi, ut
essem, esses, esset, essemus, essetis, essent, inuenitur.
& in infinito esse, ac estur in passienti uoce.

Forem Forem, fores, foret, forent; pro essem, esses, esset,
essent; in præsentis optantis modi, atq; in præterito
imperfecto subiungentis, Infinitus fore, pro futu-
rum esse.

Ausim Ausim, ausis, ausit, ausint.

Faxo Faxo, uel faxim, faxis, faxit, faxint: pro faciam,
uel fecero.

Infit Infit, pro ait, uel incipit, solum reperitur in ter-
tia persona singulari indicantis modi. Item & ouat,
atq; in participio ouans.

Cedo Cedo, pro dic, uel da: secundam personam
habet imperantis modi; & cedite pro dicite.

Aue Aue, aucte, auere, auemus: salue, saluete, salueris.
Valebis & saluebis rarissime.


Cœpi, memini, odi, noui, solum habent præteri-
tum indicantis modi, & tempora, quæ fiunt ab eo:
ut memini, memineram, meminissim, memi-
nerim

Institutiones. 16

nerim, meminero. In imperativo obtinet memento, & mementote.

A cepi, eſt ſupinum ceptum, & captus. Ab
oai, oſum, oſus, & uſurus partici-
pia manant.

Et hæc de Etymologia.



Michael Saura I

DE SYNTAXI,
hoc est, partium ora-
tionis constru-
ctione.



Syntaxis est pars Grammaticæ, quæ orationis partes inter se ita componit, vt ex ipsis certa lege constitutis, Latina, & emendata sit oratio. Et est duplex, propria, & figurata. Propria vocatur ea, cui nihil deest, nec redundat, nec immutatur, nec suo loco abest: vt Tu ornasti me in senatu summis laudibus.

Figurata verò dicitur illa, cui figura inest: vt Dominus vobiscum: Hisce oculis vidi. De qua postea.

Item propria duplex reperitur, Vna Intransitiua, quæ partium cõformatione tantum fit; vt Ipse diligo: Altera transitiua, quæ affinitate fieri solet, vna cum recta casuum collocatione; qualem probat Ciceronis exemplum: Fortem virum tibi commendo Brute, & frugi hominem. Hinc deniq; coalescit oratio.

Oratio est apta multarum vocum compositio, qualis hæc; philosophia vera est animi medicina.

Hæc autem, perfecta est, vel imperfecta: Tum Finita vel Infinita.

Perfecta est ea, cuius perfectus est sensus: ut ille oleum, & operam perat.

Imperfecta ea dicitur, cuius sensus est imperfectus: ut Quid si cœlum ruat?

Finita est, quæ constat uerbo finiti modi: ut Non impunè feres. Infinita uerò, quæ habet uerbum infinitum: ut i. egere, & non intelligere, est negligere.

At finiti modi quatuor sunt, Indicans, Imperans, Optans, & Subiungens: Infinitus autem unus.

Generalis uerborum diuisio.

VERBUM in uniuersum duplex est, personale, & Impersonale.

Personale uerbum est, quod tribus utriusq; numeri personis coniungatur: ut Amo, Docco.

Impersonale uerò, quod uariatur solum tertia persona singulari: idq; in utraq; uoce: ut piget, curritur.

Verbum personale finiti modi, ante se nominandi casum agentem, uel patientem, eiusdē numeri, & persona requirit. ut Luna decrescit: sol obscuratur.

Exce-
ptio.

Demptis tamen collectiuis nominibus: atq; duobus singularibus aliqua coniunctione sociatis: quæ postulant plurale uerbum: ut pars secant: Turba ruunt: Cicero in Epistolis: Si tu & Tullia lux nostra ualeatis, ego et suauissimus Cicero ualemus.

Observationes tres.

Duo singularia uinculo intercedente in usu quidem sunt:

sunt: ut Ego & tu sumus in tuto. At collectivis nominibus poeta utitur, historie uel scriptor. Nomina uero illa dicuntur collectiua, quae in singulari numero multitudinem significant: ut gens, pars, senatus, turba, & eiusdem generis alia.

Infinitum, orationis uel particula, interdum uice nominatiui ponuntur: ut Non est mentiri meum: Viuere nostrum est triste: In re mala, si bono utare animo multum iuuat.

Pronomina ego & tu, in oratione uix adhibentur: nisi per Emphasim, aut Discretionem: ut Quid tu tibi uis? Ego non tangam meam? Emphasis fit, dum latens animi impetus uerbis fertur ex se talem uim non habentibus: ut Tu audes ista loqui?

Discretio est, cum studia inter se diuersa occurrunt: Ut, Ego lego: tu audis.

De Formis Verbi personalis.

Personalis uerbi formae, quinque sunt, uoce, ac significatione distinctae: Agens, Patiens, Neutrum, Depo-
nens, & Commune.

Agens uerbum est, quod in o, desinit: ut Amo: & haec Agens. habet uocem patientem in oratione: ut Amor. Praeter malo, nolo, uolo, & facio, cum compositis clementum a, retinentibus: ut calfacio, liquefacio: carent enim patienti uoce. Et cepi, meminini, odi, noui: quae uocem neutram recipiunt: reperiunturque solum in praeterito perfecto indicantis modi, ac temporibus ab eo formati. At do, prima persona tantum patientis uocis legitur desinitum.

- Patiens** . . . Patiens est, quod in or, finitur; agentem vocem in o, retinet: vt Amor, Amo.
- Neutrū** . . . Neutrum est, quod exit in o, tantū; quia passiuum gignit nullum: vt careo, egeo.
- Depo-
nens** . . . Deponens est, quod in or, finitur, & actiuè significat: vt obliuiscor, recordor.
- Com-
mune** . . . Commune dicitur, quod in or, desinit, & agentis, patientisq; verbi significationem obtinet, vt Amplector, osculor.

Verbi Agentis constructio.

OMNE verbum agens, ante se nominatiuum agentis, & post se accusatiuum patientis personæ postulat; vt Rex vicit hostes: Cicero; Ipse pulchrè noui hominis naturam: Terentius; Clinia te unicè diligit.

Hic personam voco, id, quod agit, vel patitur.

Actiui verbi sex sunt species; quæ classes, vel ordines dicuntur. Est tamē species hoc loco eiusdem constructionis verborum multitudo; vt Amo, ab dico, ago, colo, capio, cupio, curo, duco, fero, incipio, laudo, sumo, & similia.

Sunt igitur primæ species ea verba, quæ solū habent post se accusandi casum: vt Vitia molestè fero: Tu mirificum agis ciuem: Terentius; Chremes generum abdicat.

Secundæ species sunt verba, Accusandi, damnandi, absolucendi,

partium Orationis.

92

absoluendi, reprehendendi, Implendi, emendi, vendendi, & æstimandi; Quæ præter accusandi, regunt gignendi; vel auferendi casum; Cicero; Te negligentia accusant; Idem; Eodem te crimine condemnabo: Ille ingurgitavit se cibus, obruit se vino.

Tertia species verba, Dandi, Imperandi, nunciandi, promittendi, anteponendi, & postponendi continet; tum hæc, Suadeco, persuadeco, narro, compositæq; cum his præpositionibus, ad, in, ob, & sub: Quæ dandi casui adherent; Cicero, Da nobis veniam nu frater: Idem, Benè imperat civibus Cæsar, Cur te aliis præponis? Terentius: Quem lupo commisisti: Hoc tibi persuade: Narrabis patri omnia: Referes hæc amicis: Equo spontè currenti calcaria ne adda: provinciam nimis duram nobis imponis: Terentius: Obde pesulum hostio: superioribus dictis, & alia subdidit.

Ad quartam speciem referuntur verba, Docendi, monendi, rogandi, petendi, vestiendi, seu calciandi: & his contraria: nimirum, exuo, spolio, excalcio: Quæ duplicem accusativum recipiunt, unum persone, & alterum rei: Cicero: Te Silij causam docui: Erudiste leges belli: Mones me utilia: Terentius, Te hoc unum oro. Exuo te vestem. Sed rectius dices, exuo te veste: spolio illum argento: Excalcio ocreis: quia hæc tria, accusativum rei, sæpius mutant in Ablativum.

Quinte speciei dicuntur verba, Afflicendi, donan-

ij

di, tum

di: tum imbuendi, onerandi: & his repugnantia, scilicet, de onero, ex inanio, leuo, subleuo: Quæ præter accusandi casum, septimum assumunt: Cicero, Affecisti me uoluptate: Frater multos ciuitate donauit. Te literis & moribus imbuam: Onerasti me curis: subleuasti alios labore.

Sexta species, verba Accipienda, auferendi, abstinenti, intelligendi, & remouendi complectitur: Item hæc, disco, defendo, peto, efflagito, posto, impetro, postulo: Quæ cum accusatiuo, sibi uendicant ablatiuum addita præpositione, à, uel ab, ex, uel de: Cicero: Accepi ab Aristocrito epistolas tres: Abstineo me à uoluptatibus: Rẽ uerbis multorum intellexi: Cætera ex tabellario cognosces: Remoue præsidia ex his locis.

Annotatio.

Eripio & adimo, sæpius datiuo, quàm ablatiuo iunguntur: Terentius: Eripuit fidicinam lenoni: Ensem hosti ademit.

Observationes.

VERBIS iudicij adherent hæc nomina, ambo alterũ, utrumq; , neutru, in ablatiuo tantum, cum præpositione, uel ea omissa: ut Accusaris cædis? An furti? Respõdebis, ambobus, siue de ambobus, altero, neutro, utroq; , siue de utroq; . Eiusdem generis sunt, omnis, nullus, plurimus, maximus, & minimus.

Implendi uerba.

Implendi uerba, impleo, depleo, expleo, oſpleo, repleo, ablatiuũ rei diuersæ cũ præpositione de, uel sine ea recipiũt: ut impleui nauem de uniuersa natura frumenti:

mētī: et frumento uniuerſe naturæ: Repleui bibliothecā de omni genere librorū, uel libris omnis generis.

In uerbis emendi, emo, coëmo, paro, comparo, redimo: Item uendendi, uendo, reuendo, indico, addico, inſcribo, pretium certum ſeptimo caſu efferitur: ut Emi ædes mille nummis aureis: Vendidi talentis. Emendi & uendendi.

Hi autem incerti pretij genitiui, tanti, quanti, pluris, minoris: tantidem, tantius: quantilibet, quantius, quāticumq; uerbis ſuperioribus ſine ſubſtantijs adiciuntur: ut Platonis opera ipſe tanti emi: quāti tu Ariſtotelis. Cicero: Nō uendo pluris quām alij: ſed fortasſe minoris.

Qui adiectiue capti ſemper in ablatiuo cum rei nominibus ſociantur exceptis tantidē, et pluris: ut Veſtes tanto pretio emi, quanto tu, uel minori.

At dimidio, duplo, nimio, minimo, plurimo, paulo, uili; per ſe ferē ponuntur: Cicero: Prælia emiſti minimo: et uendidisti plurimo. Tandem poteris aduerbijs comparandi, carius, melius, peius, uilius, ueniſtē, uti: ut Carē merces cōparaſti: ſed carius, uel melius uēdis.

Verba æſtimandi, æſtimo, curo, duco, facio, ſio, habeo, pendo, puto, et ſum, præter incerti prætij genitiuos, etiā his gaudent, magni, parui, minimi, maximi, nihili, plurimi, flocci, aſſis, lucri, huius, nauici, pili, terrūti; Cicero: Te ipſe ^{que oſtendit in nullis} magni æſtimo: Tu uerō oēs parui ducis: Terētius: uuius nō facio: plurimi fit pecunia. Verū hi gignēdi caſus ſolēt in ablatiuos abire: præter nauici, lucri, huius: ut paraſiti magno pretio æſtimāt cō

Æſtimā di.

nam; qui verò, parcè viuunt minimo pendent: aßis vel aße ducunt. A nihili, in sextum casum abit, cum præpositione pro, Cicero: Omnis voluptas præterita pro nihilo est habenda: Terentius; Me pro nihilo habet. Hæc autem, Æqui boni facio, vel consulo: pro in bonam accipio partem: Ciceroni sunt familiarissima.

Syntaxis verbi patientis.

PATIENS verbum antecedit nominatiuus patientis personæ, & sequitur ablatiuus agentis, cum præpositione, a, vel ab: Aut datiuus: Interdum accusandi casus cum præpositione per, vel inter: vt Virtus laudatur ab his: Vitium culpatur ab illis. Cicero: Hæc sententia, neq; Senatui, neq; populo probatur. Idem, Res agitur per eosdem creditores, per quos cum tu aderis, agebatur. Et pro Sestio: Iudicium inter sicarios committitur.

At rei inanimatæ ablatiuus elegantius absolutè collocatur: vt Corpus labore frangitur, quiete, vel otio reficitur.

Verbi autem patientis classes tot sunt, quot verbi agentis, & eodem casu distinctæ: quippe verbum agens mutatis vtriusq; personæ casibus fit patientis: alij verò casus manent immoti: vt Ego laudo eloquentiam: Eloquentia laudatur à me. Accuso te furti, vel furto: Tu accusaris à me furti, vel furto. Magister docet illum artes ingenuas: Ille docetur à magistro artes ingenuas.

partium Orationis.

9

genuas. Ac de alijs idem esto iudicium.

Hæc tamen absolutè leguntur: Capitis dolore ve-
xor: Rumpor inuidia: Membra contrahuntur frigo-
re: Ictus fulmine: Afflactus numine.

Annotationes.

HÆ quidem orationes: pueri amant se: Heus ma-
gister doce me: non eodem modo, quo superiores
conuerti possunt: sed hac ratione: pueri amantur à se
ipsis: Heus magister, fac docear abs te.

Quæ verò constant nominibus recto carentibus,
patientes fieri nulla ratione possunt: vt Fer mihi o-
pem. Tum, nec cōmutantur hæc verba, fugio, pario,
aborto, & subcolo. *Nec verba quæ cauent supinigris*

Tandem, hæ passiuæ loquendi formulæ, capi oculi
lis; Consternari, & linq̄ui animo; Desiderari mili-
tes: eodem sensu manente neq̄; agentes ficut, nisi raris-
simè: Cicero; Aulus Hircius ne vnum quidem militem
desiderauit: pro mortuus est. Sed quæ rara sunt, nota:
bis, non imitabere.

De verbis reciprocis.

VERBA patientia reciproca, & vim eorum ha-
bentia, in medio posita vtrinq̄; amplectuntur vo-
minandi casum: vt Socrates philosophiæ fons appel-
latur; Plato diuinus vocatur philosophus: Aristote-
les verò Peripateticæ familiæ princeps habetur.

B V

Verba

Verba uocatiua sunt, Appellor, dicor, nominor, nuncupor, & uolor.

Eorum uim habent, cognominor, existimor, habecor, iudicor, prædicor, salutor, scribor, uideor; & alia.

In uerbis gestum, præcedunt & sequuntur nominatiui: ut Ego bibo ieiunus: dormio pronus; iacco supinus: eo tristis: ambulo lætus; euado doctus: fio sapiens: maneo uiuus; uiuo felix: Elegans extat Ciceronis quædam oratio: Equus non existit uiuus.

Reciprocatio est alicuius in se ipsum receptio. Quæ rei est, uel casus. Reciprocatio rei fit, ubi agens, patiensq; persona idem significant: ut Pamphilus se ipsum diligit: Reciprocatio uerò casus illa dicitur, in qua casus sequitur præcedenti similis: ut Hispani semper habiti sunt bellicosi.

De uerbis neutris.

VERBA neutra ante se nominandi casum agentem, uel patientem requirunt, post se autem uarios casus sortiuntur: nam primæ, secundæ, & quintæ classis actionem significant: tertiæ uerò, & quartæ affectionem denotant.

Sunt igitur quinque uerbi neutrius classes.

Prima classis uerba continet, Abundantia & Agetatis: Quæ post se gignendi casum efflagitant, uel auferendi sine præpositione; Terentius: Amore abundas Antipho: Cicero: Villa enim abundat, lacte,

ete, caseo, melle: idem ; illa non tam artis indigent, quam laboris: Scio planè te febrì carere: Vacare culpa, magnū est solatium.

Abundantiæ uerba sunt, abundo, diffluo, redundo, exando: Affluo, circumfluo, exubero, scateo: quorum quatuor posteriora septimum casum solum exposcunt ; ut affluo diuitiis : circumfluo bonis : exubero copiis: Liber scatet uendis.

Carco, egeo, indigeo, uaco, egestatis uerba dicuntur. At satago absolutè, uel cum gignendi casu usurpatur: Terentius ; Clinia rerum suarum satagit: quasi dicat, sollicitus est de rebus suis.

Secunda classis complectitur, uerba commodum, diligentiam, fauorem, nocumentū, occursum, obsequium, & repugnantiam significantia: & uerba composita cum his præpositionibus, ad, con, præ, sub, in, et inter: Que dandi casui iunguntur: ut Ego seruiō temporì: Tu Reipublicæ consulis: Hostes muro adhærent; Sibi consentit: præpollet omnibus: Subcumbit fortunæ: Figulus figulo inuidet: Interuenio disputationi.

Tertia classis hæc habet uerba, Ardeo, flagro, caleo, palleo, rubeo, tepco, uireo: Quæ auferendi casu sine præpositione lætantur: ut Ardeo amore ; Feruet ira: Cicero: Æstuo desiderio uiscudæ patriæ: Cæsars Milites flagrant armis.

Huius speciei etiam sunt, uictito lacte: Et fons mandati;

nat, vel fluit aqua: aut ex fonte, vel de fonte manat aut fluit aqua.

**Annōta
tio.** Quartæ classis sunt hæc quinque verba, exulo, fio, liceo, vapulo, venco: Quæ prorsus verborum passiuorum Syntaxim exposcunt; vt Imago fit à pictore: Vapulabis à parentibus, Ipse venco à mangone. At verbis liceo & exulo persona agens rei animatæ, non adhiberi solet: diccs tamen relegor; vel in exilium mittor à prætore.

Quinta classis verba pugnandi possidet, & situm corporis, vel motum expressum significantia: Quæ post se nullo casu gaudent, nisi addita præpositione aliqua; vt Antonius disputat cum Platone: Iudex in vrbe viuit: Consul ad me venit.

Pugnandi verba sunt, certo, contendo, concurro, disputo, pugno.

Situm corporis declarant, cubo, dormio, iaceo, maneo, sedeo, sto, vigilo, viuo.

Motum expressum significant, ambulo, curro, conato, salto, surgo, uado, venio.

Attineo & pertinco, accusatiuum habent, cum præpositione ad: vt Hoc ad me attinet: Illud verò ad te pertinet.

**Annōta
tio.** Iam neutra verba accusandi casum admittunt, qui rem, vel actum verbi significet: vt Miseram viuo vitam: Cicero. 3. de Oratore; Vnguentum crocum olet. Terentius, Cantilenam eandem canis. Tum si ad mensuram

suram eius actus pertineat ; vt percurri stadium,
Ætatem vixi: Totam dormiui noctem.

Quædam autem composita, suæ præpositionis casum exposcunt : vt Adiit me: In eo gratiam : Terentius, Conueni puerum Chremis: Ille capitis periculum subiit.

Hæc autem, fugit me: Latet me : præterit me; vsu probantur: vel addita negatione.

De constructione verbi sum.

V E R B V M substantiuum vocatur, quod in coniugando, vel resolucendo cæteris verbis præsidio est: vt Amatus sum, vel fui: Tu fuisti amans.

Sum omnes ferè vsurpat casus, ac primùm nominandi ab vtraq; parte, cum res ad idem spectat: vt Cicero fuit eloquens : Mercurius autem Deorum legatus. Cōstru
ctio.

Genitiuum, multis quidem modis: vt Virtus hominis est, vitium enim bruti : Sum Romæ : Hodie pluris est pecunia, quàm fama.

Datiuum simplicem, vel geminatum: vt Fortuna multis mater est, pluribus autem nouerca: Liberalitas mihi fuit ornamento, tibi autem dedecori. At ignorantia Reipublicæ erit exitio.

Accusandi verò casum, non nisi cum præpositione ; vt Iam diu sum apud te.

Ablatiuum deniq; sed variè: vt Homo est mira doctrina,

Etrina, ac probata uita: Tu in culpa fuisti: Omnes in desiderio sumus.

Verum cum hoc nomine opus, omnibus ferè casibus iungi solet: sed nominatiuum, et ablatiuum sæpius asciscit: ut Liber est mihi opus, & acuto præceptore Cicero, Dux nobis opus est: Terentius: Nihil opus ist hac est arte, ad hanc rem, quam paro: sed fide & citurnitate.

Appendix.

SVM duobus nominatiuis postpositum priori respondebit: Terentius: Amatum iræ amoris redintegratio est: at inter duo nomina diuersimodum possum, cum præcedenti conueniet, Cicero; Lacrymæ sunt doloris indicium: Cæsar: primæ legiones erant robur totius exercitus.

De compositis uerbi sum.

VERBI sum composita undecim sunt, ad ipsos dictione comprehensa: Absum: adsum, desum: insum intersum: possum, præsum, profum: obsum, subsum & supersum: Quæ etsi tertio casui iunguntur, præter possum: ; etiam aliis casibus iuncta reperies, quod exemplis probatur, è Cicerone petitis.

Tibi absui: Absum à culpa. Dicemus etiam. longè, multum, procul, paulum, ab urbe abest. Ego uerò Serui, uellem in grauißimo meo casu adfuisses. Decet fidelitas

delitas erga patriam. Inest in uerbis fides. Præfuit prouintie: uel in prouintia. Cōsiliū ad concordiam ciuitatis multū profuit. Quia in re nulla subest suspicio, Nulli de inimicis supersunt.

De Verbis ad naturam pertinentibus.

HÆC uerba, pluit, ningit, grandinat, tonat, fulgurat, diescit, noctescit, adueperascit: etsi in tertiis personis singularibus sæpius leguntur: omnes tamen numeros, & personas obtinent: saltem negatione adhibita.

Vocantur autem, à Grammaticis potestatis absolute: uel exemptæ actionis uerba, quia ante se nullum habent casum: post se uerò, aut absolute, aut septimo casu adhibito usurpantur: ut Cur cesso uicini ostiū pulsare? Linius: Nuntiatum est, in Albano lapidibus pluuisse. Dices itaq; pluit lacte, uel sanguine: at sanguinem pluit, ipse dicere non ausim.

Attamen ex superioribus quædam, per uerbum fit, & est, exponuntur: ut Diescit, hoc est, dies fit, uel est: Noctescit, nox fit, aut est.

Item hæc, aiunt, dicunt, ferunt, parem habent cum superioribus usum; ut Regem uenisse aiunt: patrem uerò obiisse dicunt.

Omne uerbum acquisitiuè positum datiuum exigit: ut Ise non omnibus dormio: sibi canit: omnibus sapit,

pit, sibi verò uni non sapit. At verbum poni acquisiti-
uè tunc dicimus, cum utilitatem, uel damnum, volup-
tatem, seu molestiam significat.

Do, verto, puto, duco, & tribuo, duplicem dandi
casum sæpè recipiant: ut Hoc tibi uitio dant; Nonnul-
li gloriæ tribuunt: id sibi laudi putat: Hanc rem tibi
ornamento ducis, quam cæteri stultitiæ vertunt.

Quoduis verbum admittit accusandi, vel auferen-
di casum, spatium loci, aut temporis significantem: ut
Aedes nostræ à foro absunt centum passus, vel passibus;
Puella sedecim annos vel annis nata est. Additur et his
præpositio, Terentius, In diebus paucis Chrysis mo-
ratur: In diebus viuit: Rus in quinquennium accipisti.

Verum si temporis partem significamus, sexto ca-
su uti debemus: Cicero: Te mense proximo visam:
Hyeme nauigat.

Utro tamen casu tibi utendum sit hæc temporis ad-
uerbia indicabunt: Quamdiu, & quampridem, accu-
satiuo acquiescunt: Quando enim, & quo tempore, a-
blatiuo: ut Quamdiu vigilasti? tres horas. Quando
veniet? Hora tertia.

Quin nullum est verbum, cui addi non possit septi-
mus casus instrumenti, causæ, pretij, & naturalis ef-
fectus: ut ille hominem ense interfecit: pallet amore;
Rubescit pudore: Docet obolo: Salustius: Concordia
res parue crescunt, discordia maxime dilabuntur.

Instrumentum verò, id est, quo aliquid fit.

Quibuslibet

Quibuslibet uerbis apponitur casus aufcrens a-
gendi modum significans, absolutè, uel interueniente
præpositione cum: Cicero: Longissimas uias incre-
dibili celeritate cōfecit: Idem; Scruius me summa cum
humanitate recepit.

Tandem ablatiuus absolutus omnibus uerbis iun-
gitur, ac quatuor fit modis.

Primum duplici nomine: ut Ipse mari tranquillo
nauigo: Roma consule Cicerone à coniuratione libe-
rata fuit.

Deinde, nomine & pronomine: Cicero; Ipsa natu-
ra duce dicebat Antonius: Terentius: Hæc me impul-
sore non fecit Here.

Tum, nomine & participio: ut Cicerone dicente mi-
rabantur Romani: Orante Demosthene omnes Græ-
ci stupebant.

Postremò fit pronomine & participio; ut Vos me
legente garritis: Illo autem dormiente luditis.

Is uerò casus etsi uariè soluitur, sæpius tamen, per
dum, aut cum, explicatur. Annota-
tio.

De uerbo Absolute.

ABSOLVTVM uerbum est, quod per se seii-
sum absoluit cum nominatiuo antecedente: ut ipse
lego, amor, seruiò, miror, amplector: & est duplex,
Vnum natura: & Alterum de industria.

Absoluta natura dicuntur, uerba tum neutra, tum
C deponen-

deponentia quintæ classis: hæc enim ex sua natura nullam à parte posteriori habent casum: ut *pater uiuit: Frater peregrinat: r.*

Absoluti uerò de industria uocantur uerba illa, quæ ex se casum obtinent, quem nos consultiò amittimus: ut *Ego amo, Tu cedit.*

Ac tandem uerba omnia, huius naturæ sunt: dum apposito carent.

De uerbis Deponentibus.

Deponens uerbum ante se adliui uerbi syntaxim habet: post se uero uarios casus recipit; ac proinde huius sex numerantur ordines.

Primi ordinis sunt uerba, Memoria, & Obliuio- nis: ut *Recordor, reminiscor: obliuiscor, misereor:* Quæ gignendi, uel excusandi casum expectant: *Cicero; Huius meriti in me recordor: Idem: Ipsi pedestres navalesq; pugnas recordentur: Obluiscor iniuriæ; Cicero: Curio subito totam causam oblitus est. Idem, Misereant huius summi, & clarissimi uiri.*

Secundus ordo continet uerba, quæ pertinet ad Assentationem, auxilium, fauorem, gratulationem, obsequium, nocumentum, seu repugnantiam: hæc enim iunguntur dandi casui: *Cicero: Huic reliqui consules assentiuntur: Miseric auxiliari licet: Caesar; Medetur provincie incommodis: Tullius; Tibi & Reipublice gratulor.*

Ad tertium ordinem pertinent uerba, Conandi, consolandi, emendi, furandi, diffidendi, loquendi, meditando, precandi, & imprecandi, praesolandi, sequendi, uenandi: Tum haec, calumnior, dignor, dedignor, fenerator, hortor, intueor, mereor, demereor, metior, nutuor, patior, pollicor, quaeror, tueor, oblitiscor: Quae accusandi casum deponunt: Terentius: Ego ne istud conari queam? Cicero: Me ista res consolatur in tenebris Reipublicae: Agrum mercatus fuerat.

Quartus ordo uerba, glorior, delector, letor, tristior, complectitur: & haec quinque fruor, fungor, potior, uescor, utor: Quae cum sexto casu sine praepositione construuntur: Cicero: Tu insolenter gloriaris factis: Bonorum consiliis delector: Maximarum rerum gloria letor: Tristor iniquis temporibus: Meo fungor officio: Potitur bonis omnibus: Uescor pane: Incredibili utor patientia.

Quinti ordinis dicuntur, Gradior, ingredior, labor, peregrinor, proficiscor, reuertor, motum significantia: Cum his, conuionor, cachinnor, castramentor, frumentor, iocor, philosophor, rusticor, tumultuor: Quae nullum casum admittunt, nisi iuncta praepositione: Cicero: Si ita res fert gradietur ad mortem: Ad urbem profectus est; iocor in amicos.

Sexti ordinis sunt, nascor, & orior: Quae appetunt auferendi casum cum praepositione, a, ab, e, de

uel ex: ut *Hæc pestis homini, ab homine nascitur: Terentius; Tibi à me nulla est orta iniuria: dicimus etiam, uir nobili genere natus, sine præpositione.*

De Verbis communibus.

Commune uerbum, ut *Agentis, patientisq;* uerbi significationem habet, ita utriusq; syntaxim retinet; ut *Ego ueneror senem: senex ueneratur à me: Cicero; Talem animum libenter amplector.*

Huius generis sunt hæc pauca uerba, *Adulor, amplector, consolor, criminor, dignor, experior, frustor, osculor, interpretor, ueneror.*

Quædam elegantissimæ generum, & formarum mutationes.

PUEROS interim admonitos uolo, uerba unius generis, uel speciei, non ita unius esse, quin alterius esse possint: significationis: aut constructionis mutatione: ut *Memini huius rei: memini hanc rem, aut de hac re.*

Accuso te negligentia: negligentia, & de negligentia.

Cepi dolorem, cepit me dolor: & dolore captus sum. Verum si in oratione facta, per uerbum capio, loci, uel rei mentio est: locus rem continens in recto casu: res autem contenta in quarto collocabitur: ut Hoc auditorium non capit pueros: nec platea milites.

Literas

Literas regi, uel ad regem misi, aut scripsi.

Præstat tibi, uel te doctrina.

Rem tibi omnem refero, hoc est, narro: uel refero ad te de rebus meis, id est, in consultationem fero.

Admonco te officij, & de officio.

Erudio filium ius regium, iure regio: uel in iure regio. Item, erudio te ad modestiam, & de rebus omnibus.

Induo, aut uestio tibi uestem: te uestem, uel ueste.

Celo tibi hanc rem; te hanc rem, & de hac re.

Augco, uel cumulo uxori dotem: uel uxorem dote.

Impertio tibi salutem: aut te salute.

Confert huic rei: & ad hanc rem.

Repondeo maledictis: & ad maledicta.

Auscul'to tibi: id est, obcdio: Auscul'to te, hoc est, audio.

Certo tibi; uel tecum: & Certant inter se donis.

Detrahere aliquid alicui, & de aliquo.

Interdico tibi domum, uel domo: Domus mihi interdicitur.

Veni, mihi in mentem eius rei: uel ea res; uel de ea re.

Misericor tui, uel tibi: Glorior de beata uita; Gloria-
tur factis: Cicero: Quasi ea, qua gloriaris, confe-
ceris.

Ei uictoriam gratulatur: & de uictoria.

Dominatur suis, & in suos: Fortuna autem in omni re dominatur.

Benè fit, malè fit, satis fit nobis.

Sed de his satis, eiusmodi enim mutationes bonorum authorum usus perfectè docet.

De Verbis Impersonalibus.

VERBUM impersonale duplex est, Actiuæ uocis unum in t, finitum: ut Miseret, placet: & Alterum in r, patientis uocis: ut Curritur, itur.

Verbi impersonalis agētis uocis quinque sunt classes.

Primæ classis tria sunt uerba, interest, refert, & est: quæ ante se gignendi casum exigunt, & post se infinitum; ut principis interest urbem seruare in columnam: Omnium refert rectè facere: Non est uiri sapientis dicere, non p̄taram.

At hos, genitiuos, mei, tui, sui, nostri, uestri, non admittunt ambiguitatis tollendæ causa: quibus succedunt ablatiui, mea, tua, sua, nostra, uestra, uel per se, uel una cum his genitiuis, ipsius, solius, unius, duorum, trium, omnium: tanti, quanti, magni, parui, pluris: aut aduerbiis, multum, solum, tantum: ut Mea interest legere: Vestra refert præceptori mercedem soluere: Tua solius interest me defendere: Mea parui refert te hæc facere: Vestra omnium interest, uirtutem colere: Nostra tantum refert esse Romæ.

Nec per gignendi casum proprii nominis loqui licet, hac ratione, Mea Michaëlis interest legere:
Sed

sed mea, qui sum Michael: Tua minimè refert, qui es pater scire in filios: facta circuitione per relatiuum qui, quæ, quod, & uerbum sum, es, fui.

Est autem, illa possessionis pronomina in recto capit singulari, atq; in genere neutro: ut Tuum est, mihi ignoscere: Meum est, temporibus consulere, & uita.

Secundi ordinis dicuntur hæc, Accidit, contingit, euenit: constat, liquet, patet, conuenit, expedit, licet, libet, placet, præstat, restat, sufficit, uacat; à uerbis neutris àducta: Quæ cum casu dandi, & infinito iunguntur: ut Accidit mihi errare: Tibi contigit ægrota-re: Nemini licet perdere Rempublicam.

Tertia species quatuor continet uerba, decet, delectat, iuuat, oportet, ab agentibus orta: Quæ ante se accusandi casum, & post se infinitum expectunt; ut Oratorem irasci non decet: Te rebus omnibus abundare oportet: Iuuat me literas didicisse.

Ad quartam classem pertinet, cœpit, debet, desinit, incipit, solet, & potest: quæ nisi adharcant infinitis impersonalium quintæ classis, defectiua esse non possunt: hæc autem à priori accusatiuum recipiunt, à posteriori uerò infinitum uerè impersonale, eiusq; casus: ut cœpit me pœnitere cædis: Incipiat te pudere uittiorum: solet bonos pigere.

Quintus deniq; ordo, hæc possidet uerba, Misert, pi-

get, pœnitet, tedet, pudet: quæ præter accusatiuum, genitiuo gaudet, uel infinitiua: ut *Miseret me tui*: piget me peccati, uel peccasse: suæ quæquæ fortunæ pœnitet: *Me stultitiæ meæ pudet.*

Observatio.

Impersonalia uerba non dubium est personalia fieri posse: modo à priori cum recto casu construuntur: præter quinti ordinis uerba: ut *Hoc uehementer interest Reipublicæ: Illud parui refert: Si id tibi minus libebit, non te urgebo: Terentius: Non te hæc pudet; dixit, pro non te horum pudet?*

De uerbis Impersonalibus patientis uocis.

PASSIUA uocis uerba impersonalia, actionem significant, & ab omnibus uerbis agentibus absolute positis cadunt: sed à neutris maxime (his demptis quæ desinunt in *ſco*) atquæ in sua uerba redeunt: ut *Disputatur, disputant: Viuitur, uiuunt.*

Hæc ante se, nullum recipiunt casum, post se uerò ablatiuum personæ agentis habent utriusquæ numeri cum præpositione à, uel ab: ut *Disputatur ab omnibus: pugnatur à militibus. Cicero in Epistolis; Nihil est inseruitum à me temporis causa.*

Interdum tamen assumunt casus uerborum, unde manarunt:

manarunt: ut seruitur à me regi. Neq; auferēdi casum desiderant, nisi cum de præfinienda persona laboratur: ut statur, saltatur

De verbis Infinitis.

VERBVM infinitum est, quod per se nullius certi numeri, nec certæ personæ reperitur; uerbo tamen indiget alterius modi: ut sensum perfectum significet: ut honestum est diuitem subuenire pauperi.

Hoc autem uerbum finitur atq; determinatur ab omnibus uerborum generibus: sed maximè à uerbis uoluntatis, sensus, principij, mediij, & finis: qualia sunt, uolo, cupio, desidero, opto: Audio, uideo, intelligo: Aggredior, incipio: pergo, perseuero: Cesso, desino: ut Volo mitius tecum agere: Video sine premiis artes negligi: Aggredior disputare: Desinant malè dicere.

Tum à rei nominibus, fas, nefas, opus: & adiectiuis cum uerbo sum sociatis; Cicero: Mihi iussa capessere fas est: Non opus est, hæc dicere: Tu dignus es honorari: Pium est Christi fidem defendere, uel defendi.

Finiri uerò nihil aliud est, quàm ad certum numerum, certamq; personam referri; ut Spero te reperisse puerum.

Infinitum exigit ante se accusatiuum, in uoce agen-

ti agentem, in patienti uerò patientem: post se autem casum sui uerbi; ut Honorificum est, ciues defendere eiuuitatem: Deforme iudico, te ab his uirtute superari, quos dignitate præstes.

At in oratione infiniti uerbi caue sit sermonis ambiguitas: quæ fieri solet, quoties utriusq; personæ accusans casus infinitum antecedit: ut Bonum est, magistrum discipulos diligere: quam orationem, & huiusmodi alias, tu passiuè proferes, hac ratione: Bonum est magistrum diligi à discipulis.

Quin uerba motus infinitum maximè fugit, ac proinde uenio legere non dices: sed uenio lecturus, aut lectum, aut ad legendum, aut ut legam. Item, à nomine substantiuo. abhorret: nam hæc, tempus est concedere: uel ad id, quod instituimus accedere: imitatione Græcorum dicta iudicabimus. Illud deniq; cantare pares, & respondere parati, poëtis est relinquendum.

Tandem in his orationibus: Mordere clanculum: Inuidere omnes mihi: Omnes laudare, & benè dicere fortunas meas: infinitum poni pro Præterito imperfecto indicantis modi non dubium est: uel subaudiendum esse uerbum cæperunt.

De Esse, & infinitis Reciprocis.

INFINITVM esse cum reciprocis post se casum præcedenti similem postulat: ut Ego cupio esse
cen-

cenſor: Tu uis haberi cœdilis: Ille deſiderat uideri di-
ues.

Sed in uariis infiniti eſſe uſus, exemplis illuſtre-
tur, in hunc modum:

Si rectus antecedit infinitum eſſe, ſequetur & alter:
ut Omnes cupiunt eſſe philoſophi: Ego autem uolo
eſſe Orator.

Vbi uerò patrius caſus cum uerbis defectiuis inter
eſt, refert, & eſt, ſociatur præcedet infinitum eſſe,
caſus ſequens erit accuſatiuus: ut Militum refert, eſſe
bellicosos: Imperatorum enim intereſt, eſſe prudentes
& fortes.

Cum datiuus præit, idem caſus, uel quartus ſequi
debet: ut Licet nobis eſſe bonis, uel bonos.

Infinitum eſſe, huic uerbo uideor iunctum, datiuo
neglecto, nominandi caſum ſemper amat: ut Ego ui-
deor tibi eſſe hiſtoricus: Tu uideris mihi eſſe poë-
ta.

Quoties accuſans caſus eſt, ante infinitum eſſe,
poſt alter etiam erit: ut Te eſſe prudentem cupi-
mus.

Vocandi caſu præcedente, collocandus erit à poſte-
riori rectus: ut Heus Pamphile uis eſſe amicus?

At ſi auferens præceſſerit, idem ſequetur, uel for-
taſſis melius accuſandi caſus: ut Familiariter utor
hoc homine uolenti eſſe amico: uel amicum.

Nillo

Nulla tamen casu antecedente, sequens erit semper quartus: Cicero, præstat benefici, quam malefici esse memorem.

De Circumloquiis.

TRES hæ dictiones, circumloquium, periphrasis, & circuitio, idem significant.

Fit autem circuitio cum res multis uerbis explicatur, quæ paucis dici poterat: ut Est uentri deditus. Hæc quidem duplex reperitur, Vna oratoria, & Altera grammatica.

Oratoria periphrasis nascitur ex arbitrio cuiusq;: ut hæc res mihi in mentem uenit, hoc est, memini: Terentius; Id anus mihi indicium fecit, id est, indicauit.

At grammatica circuitio quatuor contingit fieri modis: primum ex priori supino, & infinito ire, in agenti uoce; & iri in patienti: ut suspicor me auditum ire Rhetoricam: uel Rhetoricam auditum iri à me. Deinde, ex participio futuri in rus, & esse in agenti: & indus, cum eodem uerbo esse in patiente: ut Credo te culturum esse literas: uel literas a tè, uel tibicolendas esse.

Periphrases cum aliis uerbis; tum his maxime gaudent: Auguror, confido, credo, opinor, spero, suspicor.

Fore quidem futuri temporis est, tantumq; nominibus

nibus iungitur, aut participiis in nomina translatis :
at spero te amicum, uel amatorem, uel amantem
mei fore: At amaturum fore, aut uerberandum fore
non dices; sed esse: quamuis Cicero sic interdum sit
locutus.

De Gerundiis, Supinis, & par-
ticipiis.

GERUNDIIS, supinis, & participiis nullus
præponitur casus: at hæc post se casum sui uerbi
osciscunt: ut Hûc ueni causa legendi libros: salutatum
amicos: Est ciuis amans patriam.

De Gerundiis.

GERUNDIUM dicitur, quòd in rei gerendæ
administratione uersetur: Et est duplex, substan-
tium & Adiectiuum.

Gerundium substantiuum est, quod ferè omnes ca-
sus habet singulares: ut seruendum Deo est; Tibi fa-
cio dicendi copiam: Omnis fortuna ferendo superan-
da est: Venio ad defendendum bonos; In tribuendo
cuiq; suum uersatur iustitia.

Sunt itaq; in frequenti usu, gerundia in di, do, dum,
finita.

Gerundiis in di, præponuntur hæc nomina substan- in di.
tium, Ars, amor, copia, cura, doctrina, facultas, locus,
necessitas,

necessitas, ratio, scientia, studium, occasio, tempus, utilitas: & adiectiua, certus, incertus, cupidus, peritus, & id genus alia: ut *Ars medendi utilissima est: Cicero: In rebus seueris non est iocandi locus: Non est mihi dicendi facultas: cupidus sum redeundi domum: peritus nauigandi.*

In do. Gerundiis in do tribuuntur hæ præpositiones in, de, è, ex, à, ab, auferendi casui seruietes: ut *In dicendo criminosa est celeritas: De magistratu eligendo sum sollicitus: Ex defendendo gloria paratur. At interdum absolutè reperitur, ut superanda omnis fortuna ferendo est: Nihil agendo homines malè agere discunt!*

In dum Gerundiis in dum apponuntur quinque præpositiones, ad, ob, propter, inter, & ante; ut *Temporis parum ad dicendum datur: Veni ob te uide idum: & propter redimendum captiuos: Boues ante domandum feroces: Inter disputandum discessit: uerum rectius cum Cicrone diceres, inter disputationem, Inter cœnam.*

Tum his seruiendum est tibi: silendum est, Ab eundum, aut ueniendum est, scribendum est, & aliis non utimur nisi ad necessitatem significandam.

Significatio. Gerundium retinet eius uerbi, unde manat significationem. At gerundium genitiui semper actionem significat; nisi sit à uerbis tertie, & quartæ classis. Tum in patienti significatione à uerbis agentibus ortum interdum reperitur: ut *Athenas erudiendi gratia missus: sed nobis minime uti licet.*

Gerundium

Gerundium adiectivum est, quod omnia genera, numeros, & casus habet, semperq; significat affectionē, e regi nominibus adheret: ut *Voluenda dies*, hoc est, volubilis, & quæ uoluitur: *Opus est ad eam rem constituendam pecunia*, hoc est, ut ea res constituatur.

Hoc etiam gerundium præpositiones has, *ad, ob, propter, inter,* & ante admittit, nisi sit subiectum his verbis, *conduco, curo, loco, mando, habeo, pro debeo*: ut *Filius reginæ monumentum patri faciendum locavit. Libros ad te mittendos curabo. Cæsar: magis consolandos, quàm necandos Venetos habuit.*

Observatio.

Gerundium adiectivum à participio futuri in *du*, tempore differt: Gerundium enim præsentem rei administrationem significat: ut *Tenet me cura iuventutis erudiendæ*, hoc est, quæ nunc erudiri debet: Participium uerò futuram rei administrationem denotat; ut *Cruciat me lectionis recitandæ sollicitudo*, hoc est, quæ à me recitabitur.

De Supinis.

Supinum ab adverbio *Supinè* dictum, duplex est, prius & posterius.

Prius in, *um*, desinit: ut *amatum*, uisum: iungiturq; uerbis motum ad locum, manifestum, seu latentem significantibus: post se uerò sui uerbi casum gerit: ut *Abijt piscatum: Venit salutatam amicos: Do filianis nuptum: Admitto spectatum pueros.*

Hoc etiam supinum cum uerbo est absolute ponitur: ut Actum est; cessatum est: Dictum est: Itum aut uentum est: nisi sit præteritum perfectum uerbi Impersonalis.

At posterius Supinum in, u, exit: ut amatu; uisu: obtinetque significationem patientem, & nominibus appositis adheret: ac post se casum requirit nullum: ut Turpe dictu: Miserabile uisu, facile factu.

Posterius supinum tribus modis fit nomen: primo, addito nomine apposito: ut Res est digna magno risu: Altero: Gignendi casu admissio; ut Verba protulit omnium plausu dignissima: Ultimo, subseruiente præpositione: ut Nonnihil ex odoratu percepi.

De Participiis.

participia præsens
quæ a uerbis ac
eius passionem
significant sunt
hæc
voluntas
quasans
precipitans
tendens
euidens
voluens id est
qui uoluntur

PARTICIPIA sui thematis significationem imitantur: præter argutus, cautus, circumspectus, consideratus, contentus, disertus, falsus, fluxus, ignotus, profusus, scitus, tacitus, tutus, cœnatus, & pransus, quæ in uoce patienti significant actionem.

Participium sui uerbi constructionem retinet: ut scribens literas: scripturus epistolam: Cicero: Ab his derelictus est, à quibus tuendus erat. Verum participia præteriti & futuri in dus, rectius datiuo, quam ablatiuo iunguntur: ut Diligendus omnibus: Terentius: Restat Chremes, qui mihi exorandus est.

At

At in his exemplis, opus est consulto, dicto, facto, naturato: participio elegantissimè pro infinito utimur: ad indicandam rei celeritatem.

Tandem participium trifariam in nomen abit: primum constructione, hoc est, uerbi casu amisso: ut *Cupiens pecuniæ*; *fugiens litium*: Deinde temporis amissione: ut *præceptor uenerandus est*, id est, dignus uenerari: postremò compositione: ut *Indiligens, indoctus, innocens*, quia non dicimus, *indiligo, indoceo, innoceo*.

De constructione nominis Substantiui.

NOMINA substantiua, quæ rem possessam, mensuram, siue numerum, aut relationem ad aliquid significant: gignendi casum requirunt: ut *Facundia Demosthenis*: *Cyathus uini*: *Duo millia pedum*: *Comes Ulyssis*, *Vxor fratris*.

Eundem habent casum nomina rei, in *tor, trix, or, sor, us, ioq;* desinentia: ut *Seruator generis humani*: *Moderatrix imperij*, *expultrix uitiorum* *philosophia*: *Amor patriæ*; *Censor morum*: *contemptus mundi*: *Dedicatio templi*. Item neutrae uoces adiectuæ, posite substantiuè; ut *aliquid lucis*: *Nihil utilitatis*: *plus otij*.

At quæ munus aut ministerium, generis conditionem, ac rei alicuius autorem declarant: ablatiuum exigunt cum præpositione: ut *Famulus à manu*: *à secretis*

is: à uilla: Ex illustri familia uir: Vbi uis dona ad-
sunt tibi à Rege.

Cum gignendi, uel auferendi casu consiuntur no-
mina, quæ laucem uisum in aliquo, aut uitium ali-
cui adesse significant: ut Bonæ indolis puer: uel bonæ
indole. præstantis ingenij adolescens: et præstanti in-
genio: Homo magni nasi, uel magno naso; Senex ar-
dentis auaritiæ, ardentisq; auaritiæ.

Observatio.

IOANNES de Austria barbarus: Ab Austria no-
uè: Austrius uerò, Latinè & usitatè dicitur, ac de
aliis idem erit sentiendum.

De constructione nominis Adiectiui.

HÆC adiectiua nomina: peritus, prudens, cupi-
dus, certus, emulus, ignarus, integer, inscius, com-
pos, impos, memor, immemor, potens, reus, securus, ca-
pax, tenax: particeps, expers, & eiusdem generis, a-
lia: Gignendi casum regunt: ut iuris peritus: prudens
impendentium malorum; cupidus gloriæ: Mortis
memor: tempus edax rerum.

Eandem constructionem retinent, nomina numeri,
negandi, interrogandi, & partiendi: ut primus mili-
tum: secundus conuiuarum: Nemo illorum; Nullus la-
tronum: Quis puerorum? Quot hominum? Vtrum ho-

rum

rum reprehendis? Alter puerorum: Vterq; nostrum: unusquisq; uestrum.

Quibus adde, & quæ ex participiis fiunt nomina: ut Appetens alieni: Fugiens litium; consultus iuris: patiens inedia: oblitus sui.

Datiuo iunguntur, utilis, clarus, salutaris, inutilis, odiosus, perniciosus: iucundus, molestus, gratus, ingratus, facilis, difficilis, par, impar, affabilis, aptus, ineptus, supplex, contrarius, charus; ut Reipublicæ utilis: Clarus literis, iucundus filiis: molestus parentibus: difficilis nemini.

Gignendi, uel dandi casum efflagitant, similis, dissimilis, fidus, infidus, affinis, cognatus, socius, uicinus: ut similis matris, uel matri: Fidus hæri, aut hæro: Affinis regis, uel regi: Vicinus urbis, aut urbi: Mens sibi conscia recti: Cicero; Cum mihi conscius essem, quanti te facerem.

Hæc, utilis, aptus, ineptus, similis, dispar, accusandi, casum etiam obtinent cum præpositione: ut utilis ad rem militarem: Aptus ad literas: Dissimiles inter se; aut dispare. Item promptus, propensus, pronus, procliuis, ad libidinem, uel ad laborem: aut Gerundio quarti casus adhærēt: ut idoneus ad pugnandum: segnis ad scribendum: uehemens ad dicendum.

Cum quarto, uel sexto casu constructæ reperiuntur; altus, crassus, latus, longus, profundus: ut Turris alta quingētos pedes: uel quingētis pedibus: Fosa lata

passus triginta, uel passibus.

Adiectiua hæc, plenus, diues, locuples, refertus, fecundus, grauis, onustus, uacuus, inanis, dignus, fertilis, satur: gignendi, uel auferendi casum regunt: ut Fons plenus piscium, uel piscibus: Diues opum, uel opibus: Vrbs referta armorum, uel armis: terra frugum fertilis: omnium rerum satur.

Eosdem casus postulat certior: sed alteri additur præpositio, de, ut Fac me salutis tuæ: uel de tua salute certiozem: Ego autem reddam te consilij mei: uel de meo consilio certiozem.

Hæc uerò septimo casui iunguntur, cinctus gladio, cultus omni uirtutum genere: armatus patientia; insignis pietate: excellens uirtute: egregius forma; præclarus sapientia: præditus artibus ingenuis: eruditus omnibus disciplinis: contentus paucis: fretus auxilio: lætus honore: tumidus rerum successu.

De Nominibus comparatiuis.

Comparatiuum nomen est, quod uno uel pluribus sui, uel alieni generis comparatum omnes superat: dissoluiturq; in positium, & aduerbium magis: ut pater meus est benignior aliis, hoc est, magis benignus quam alij.

Comparatiui nominis fines sunt or, & us: fitq; hoc nomen, in nominibus secundæ Declinationis à casu gignendi singulari, addita or & us: ut Candidi, candidior,

dior, & candidius. A nominibus uerò tertiæ à datiuo
iisdem adiunctis syllabis: ut *Fœlici, fœlicior, & fœ-*
licius.

Hæc tamen anomala sunt, *bonus, melior, optimus,*
malus, prior, pessimus: magnus, maior, maximus:
multus, plus, plurimus: paruus, minor, minimus; &
alia. Ocyus positiuum est, citò, uel celeriter significat.

Comparatio est rei ad rem cum excessu collatio.
Cuius tres sunt gradus, positiuus, ut *doctus: compara-*
tiuus, ut Doctior: superlatiuus: ut Doctissimus.

Positiua sunt ea nomina adiectiua, quorum signifi-
catio uel intendi, uel remitti potest: ut *breuis, obscu-*
rus. At ingens, omnis, cunctus, summus, imus, medi-
hodiernus, unicus: item, nomina numeri, & pronomi-
na: cum finitis in bundus, ut suibundus, moribundus,
comparari nequeunt: quia nec augeri, nec minui po-
test horum significatio. Nonnullorum uerò compara-
tionem nec probat usus.

Nomen comparatiuum auferendi casum semper re Cōstru-
git: ut *Sum fœlicior te; Honestamors turpi uita præ-* Etio.
stantior est. Etiam huic interdum & alter auferens
casus additur excessus, aut diminutionis: ut Tribus di-
gitus est maior me: palmo te minor: pede uno illo
crassior.

In his autem hyperbole est, *edacior lupo, melle dul-*
cior, pygmeo breuior, pluma leuior, niue candidior,
ocyor euro, testudine tardior, & similibus.



Observatio.

CV M præcedit superlativum, & sequitur comparativum, hoc illo plus valet: ut Ille est mihi charissimus: sed in posterum erit multò charior: Maximas nunc tibi ago gratias: at maiores habeto.

De nominibus Superlativis.

Superlativum nomen est, quod ultimum excessum significat, atq; ubi fit mentio de pluribus eiusdem nature omnibus antefertur: ac per positivum & adverbium maximè redditur: ut Catò gravissimus fuit Romanorum, hoc est, maximè gravis.

Superlativi terminationes in recto casu tres sunt: Simus, Limus, & Rinus: ut doctissimus, nobilissimus: facillimus: pauperrimus.

Verum à nominibus uocalem ante is, uel us, habentibus uix comparativa, ac superlativa oriuntur: sed loquimur, magis & maximè positivis additis: ut Arduus magis, uel maximè arduus: & sic de cæteris, Idoneus, pius, strenuus, tenuis. Tenuior, & tenuissimus, apud Ciceronem occurrunt. Nec à participiis in dus, nascuntur, sed his utimur aliquo adverbio intendendi adiecto: ut Admodum reuerendus: perquam colendus: plurimum observandus: uel reuerentissimus, colentissimus, observantissimus.

Vfus.

Superlativum nomen Genitivum; pluralem expetit,

ut &

uel singularem si nominis sit collectiuum: ut Eloquentissimi Oratorum Cicero: Doctissimi poetarum Virgilius: Ludouicus Viues fuit Valentinae gentis acutissimus: Hector uero populi Troiani fortissimus. At sine appositio uim absoluti cum aduerbio maximè retinet: ut Pyrrhus est callidissimus, id est, maximè callidus.

Tandem nomina comparatiua & superlatiua, etiam positivi casum obtinent: ut ille est mihi charissimus: Nec quisquam est illo melior, nec amantior aequi: Fidelissimi ante omnia homini canes.

De particulis, quæ positiuo, uel Superlatiuo iunguntur.

OMNIS & Cunctus positiuo, uel comparatiuo iunguntur: ut Omnes, uel cuncti boni de uirtute pulchrè iudicant: Omnes, uel cuncti meliores ita sentiunt.

Quisq; superlatiuo gaudet: ut optimus quisq; id fatetur. Quisq; etiam adhæret his positiuis superlatiuo carentibus, unus, decimus, singularis, & Quotus: sed huic semper cum interrogatione: ut Vno quoq; uerbo erras: Decimo quoq; die te uisam: Quotus quisq; Oratorum dixisset? hoc est, rarus aut nullus.

Unusquisq; tantum positiuum amat: ut unusquisq; fortis, uel literatus me ueneratur.

Vter, soli comparatiuo seruit: ut Vtrum utilius eloquentia, an sapientia?

Tantum, quantum, multum, parum, paulum, nimium, aliquantum: sanè, ualdè, perquam, nominibus positivis tribuuntur: ut *Tantum prudens, quantum sapiens; Multum doctus parum exercitatus.*

Cum comparativis adhibentur, tantò, quantò, eò, quò, paulò, aliquantò: ut *Tantò doctior, quantò facetior: Rem eò gravius ferre debes, quò merito tuo non accidit.*

Longè & multò, nominibus comparativis, ac superlativis seruiunt: ut *Conspèctus uester mihi multò iucundior, aut iucundissimus uidetur: Longè melior, uel optimus iudicatur; Dicimus etiam longè alius. secus, ac dissimilis.*

Facilè, pro haud dubiè, superlatiuo additur, atq; his nominibus, primus, princeps, præcipuus: ut *Corne lius est totius Gallie facile eloquentissimus: facilè princeps uel primus.*

Quàm in comparatione similes eligit casus: ut *Ille avidior est gloriæ, quàm pecuniæ.*

At, tam & quàm, cum in oratione sibi respōdent, tribus gradibus iungi possunt: ut *Tā fortis est, quàm sapiens: Tam fortior, quàm sapientior: tam fortissimus, quàm sapientissimus.*

De nominibus Deminutis.

DEMINUTVM nomen est, quod minus significans, quàm primigenium, eiusdem generis, significat.

nificationis, formæq; legitimæ esse debet: ut puerulus, puellula; tenellus, palliolum. Unde hæc deminuta non sunt, cicercula, lenticula, musculus, tabernaculum, umbraculum, pediculus, cuniculus.

Finita uerò in aster, ut philosophaster: parasitaster imitationem significant: præter surdaster, cum idem sit, quod subsurdus.

Deminuta nomina inuenta sunt, modestia: blanditijs: amplificatione, ac necessitate.

Cur D
minut
inuenta

De patronymicis.

NOMEN patronymicum est, quod significat filium, uel filiam, nepotem, uel neptem: aut ex posteris aliquem: ut Æacides, filia, uel neptis Æaci: Pelias, filia, uel neptis Pelei. Quibus sæpius utuntur poëta: alij uerò raro.

De Relatiuis.

RELATIVUM dictum est, eò quod rem iam positam referat, hoc est, intellectui nostro representet: & est duplex: substantiæ unum, & Accidentis alterum.

Relatiuum substantiæ est, quod antecedens substantiuum refert, ac cum eo, genere, numero, personaq; consentit: ut De ciuibus bene meretur Pompeius, qui ciuitatem defendit.

D 7

At hos

At hoc etiam duplex inuenitur, Similitudinis alterum, quod idem refert cum suo antecedente: ut Cicero docet, qui disserit. Huius generis sunt, Qui, quæ, quod, hic, is, iste, ipse, ille, idem, sui, & suus. Alterum dissimilitudinis, quod refert antecedens diuersum à consequente: sed solo numero: ut Diligo Demosthenem, & reliquos oratores. Huius naturæ sunt, Alius, alter, reliquus, cætera, cæterum. Quæ nomina partitiua à quibusdam uocantur.

Appendix.

QVI, quæ, quod, inter duo nomina appellatiua positum ad utrunq; potest referri: ut Cætus hominum iure sociati, qui uel quæ ciuitates appellantur. Si uerò alterum ex nominibus fuerit proprium, cum eo conuenire debet: ut Erat Oppidum, quæ olim Cumæ dicebantur. Salustius: Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur.

Rellatiuum Accidentis est, quod refertur quidem ad antecedens adiectiuum sui generis: uerum consequenti affinitate respondet: ut Templum magnum, quantus est mons. Formica est parua, quantus est cullex. Accidentis relatiua sunt, qualis, quantus, quot, quotus, quotuplex, quotennis, cuius, cuius, cuium, & cuias.

De pronomine.

Pronomina

Pronomina quaedam substantiue sumpta, signifi-
casum recipiunt, illius rei quæ indicatur: ut *Id nego-
tium; hoc causæ; Eò loci; Terentius: Quid hoc hominis?
Quid hic ornatus est? Quid illud mali?*

At uerò, si duo in oratione præcesserint, hic ad pro-
pius: ille autem ad remotius refertur: ut Demosthenes
& Cicero principes Oratorum sunt: hic Latinorum,
ille quidem Græcorum. Tum ille excellentiam quan-
dam significat: ut Plato ille diuinus. Iste, contemptum:
ut *Quid iste narrat?*

Præterea, cum aliquid nos possidere significamus,
possessoris pronomibus uti solemus: ut *dolor meus,
fauor tuus. At si de aliis patimur: his utimur, mei, tui,
sui, nostri, & uestri: ut Sit tibi cura mei: Desiderium
tui, quis feret? Memoriam sui, tenere te gaudet.*

De pronomibus Re-
ciprocis.

RECIPROCATIO est, transitus à persona
quapiam in seipsam: Et est duplex, una pronomi-
nis primigenij, & altera Deriuati.

Primigenij reciprocatio est tertiæ personæ
in se ipsam reflectio: Ut; *Se ipsum amat inso-
lens, ac superbus. Deriuati autem reciprocatio
est,*

est, transitus à tertia persona in aliquid ab ea possessum: ut Senex diligit rem suam familiarem.

Observatio.

IMAGO mea, est; quam ego emi, & possideo: Imago uerò mei, quæ picta est, & quæ me representat: sic etiam differunt, aliquid tui, & aliquid tuum: Signum mei, & meum.

De præpositione.

PRæpositiones aliæ, pro aliis sæpius ponuntur, ut Ad ripam fluminis erat locus conuiuii idoneus, hic, iuxta uel prope significat. Marcellus se ad Cæsaris pedes abiicit, rediitq; ad Calendas Februarias: in his exemplis, pro ante, & circiter inuenitur.

In, pro ad, contra, & erga, frequenter ponitur: ut In aliud tempus id planè differtur: Terentius; Nolo in illum grauius dicere: In parentes te pius esse decet.

Sub, pro ante & per, interdum reperitur: ut Rem tibi sub oculos ponam: Fortè sub id tempus pueros misi.

Annotatio.

Hæc syntaxis à Græcis orta secundum Cicero-
nem: suspecta est, atq; his modis uitari potest: ut Cicero-
ni placet, aut uidetur: uel Ciceroe authore.

A, præponi-

A, præponitur dictionibus incipientibus à consonante: ut *A* Cicerone dicendi artem audiui. Virgilius: *Defendo, à frigore myrtos.*

Ab, incipientibus à uocali, & *l*, & *r*, liquidis: et *i*, consonante; Virgilius: *Ab* Ioue principium Musæ: *Ab* lege, *Ab* rege.

Abs, incipientibus à *q*. & *t*. Terentius: *Abs* quouis homine, quum est opus, beneficium accipere gaudes: Idem, *Nūquam* accedo, quin *abste* ab eā doctior.

Tandem, præpositiones semper compositæ sunt, *An*, *Con*, *Dis*, *Di*, *Re*, *se*: quarum hæc est uis diligenter notanda: *An*, significat circum: ut *Ambio*, circum eo: *Con*, simul: ut, coniungo, simul iungo: *Dis*, et *Di*, nim separandi habent: ut *Dissentio*, diuersum sentio: *Digero*, in diuersa gero: *Re*, iam pro retro: interdum pro iterum: nonnumquam pro contra inuenitur: ut *Redeo*, retro eo: *Reposco*, iterum posco: *Reclamo*, contra clamo. *At* *secedo*, *scorsum* cedo.

De Aduerbiis.

E*N*, & *Ecce*, demonstrandi aduerbia, nominandi, uel accusandi casum postulant: ut *En* crimen: *En* latronem: *Ecce* tempestas; *Ecce* nauem. *En* exprobens, accusatiuo tantum ac quiescit: ut *En* hostem: *En* promissa.

Aduerbia loci, quantitatis, & temporis, patrium casum

casum habent: ut *Vbi locorum?* Nusquam gentium: *Quot terrarum?* Cibi plurimum: Vini parum; *Aliarum rerum satis.* Tum temporis; *Intera loci.* Obuiam dandi casum admittit: ut *Ille mihi obuiam uenit.*

Iam alia loci aduerbia, in hunc modum distribuuntur: *in loco, uel ubi: Ad locum, uel quo: à loco, uel Unde: per locum, uel qua.*

Sunt igitur interrogationes quatuor, *ubi, quo, unde, & qua:* Est enim interrogatio rei dubie petitio.

De Vbi. *Vbi* significat rem fieri in loco sine motu: cum his aduerbijs, *Hic, isthic, illis, ubi, intus, foris, ubiq;, ubicunq;, ubiuis, inibi, ibidem, infra, supra, passim, nusquam, superne, inferne.*

Omne uerbum motu carens admittit *Genendi casum* proprii nominis loci minoris primæ, uel secundæ inflectionis: ut *Vines fuit Valentia natus: Frater Romæ uiuit: Castellani ubi sunt disertis? Corduba, Compluti, Toleti.*

Item *datiuum singulare* nominum tertiæ declinationis: ut *Vbi puer per id tempus mansit? Carthagini, Barchinoni, Setaui, Hissali.* At nomen pluraliter uariatum, cuiuscunq; declinationis sit, in dandi, uel auferendi casu debet collocari: ut *Vbi artes ingenuas didicisti? Burgis, Cumis, Balcaribus, Athenis.*

Nominibus *æ* item loci maioris, uel appellatiuis additur *ablatiuus cum prepositione in*, ut *in Gallia ampla*

pla negotia habet: In Germania diu uixit: nunc uerò in Hispania habitat. In Schola pauci sunt adolescentes: at in agro, & in platea per multi.

Rus & domus, etsi appellatiua, usum priorum sequuntur: Terentius: Ruri sese continebat. Horatius: Rure meo possū quiduis perferre. Terētius: Vna semper militiæ, et domi fuimus. Sed domi alia non admit ut apposita, quàm Mæ, tuæ, suæ, nostræ, et alienæ.

Quò, motum ad locum indicat: cui respondent, hūc, De Quo isthūc, illuc, eò, aliquò, siquò, nequò, quocunq; , quoquo, intrò, foras, peregrè, sursum, deorsum.

Cuicunq; uerbo motum ad locum significanti succedit accusatiuus proprii nominis loci minoris line præpositione: ut Ego Valentiam eo: Tu Romam nauigas. Nomina uerò propria maioris loci, uel appellatiua in eodem reperiuntur casu: sed intercedente præpositione, ad, uel in: ut Is proficiscitur in Germaniam: ille ad Galliam. Cæteri in Cœnobium, et ad templum iter parant.

Tum per primum supinum, & Gerundium accusandi casus; sic loqui licet, bibitum, uel lusum se coculit: aut ad bibendum, uel ludendum.

Terentius; Rusibo: Virgilius; Ite domum.

Vnde motum è loco denotat, cum his aduerbiis, hinc, De Unde isthinc, illuc, inde, eminus, cominis, alicundè, necundè, undecunq; , cœlitus, foris.

Verbum omne, quo motum è loco significamus,

cum septimo casu construitur, nominis tamen proprii loci minoris: ut unde uenis? Caesaraugusta, Ilerda, Sagunto. Terentius: Timeo ne pater iam rure redierit. Idem, Suspicor, aliquid domo abeuntem abstulisse.

In aliis autem, tam propriis, quam appellatiuis præpositio adhiberi solet: ut pater uenit ex Gallia: Auunculus ex Andro: Frater enim è Sardinia: at Mater de templo egreditur.

e qua. Quâ significat per quem locum: item, & hæc aduerbia, hæc, isthæc. Illhæc, nequa, siqua, quacunq; , quaquæuersus, recta, alia.

In hac interrogatione, nomina propria loci minoris septimo adduntur casui: ut Iturus Hispalim quâ transibis? Setabi: Compostellam profecturus? Toledo: Romam uerò iter facturus? Valentia, Sagunto, Dertusi, uel Dertusa.

At propria maioris loci, uel appellatiua nomina, accusandi casum requirunt cum præpositione per: Cicero, Iter in Italiam facio per Cappadociam: per forum ibat magister. Rus, & domus, semper imitantur propria.

Annötatio.

AVTORVM usus interdum propriis urbium nominibus præpositionem addit: ut Eo die Verres ad Messanam uenturus erat: Castra moui ab Iconio, Ciceronis sunt exempla: Etiam & appellatiuis sæpè

sapè adimit: Virgilius, Italiam fato profugus, La-
uinaq; uenit littora. Sed hæc non sunt pueris ad imi-
tandum proponenda.

De Interiectione.

O diuersis adheret casibus, nimirum, nominandi,
accusandi, & uocandi: ut O magna uis ueritatis.
O iniquem impudentiam. O dij immortales. O Ctesio-
pho, O Syre.

At ubi lenis est affectus & reticere solet: ut Miserrum
me: Deum immortalem.

Heu & proh, sapè accusandi casum asciscunt; ut
Heu me infœlicem: Terentius; proh Deum atq; ho-
minum fidem. Ac etiam nominandi, & uocandi casus
postulant, ut Heu pictas: Heu miserande puer: proh
dolor.

Ah, Hei, & Væ, datiuum recipiunt: ut Ah tibi: Hei
mibi: Væ capi ti tuo: Væ uictis.

De coniunctione.

CONIVNCTIO partes orationis coniungit,
ac sententias connectit: ut Ego et tu parces, & æ-
quales sumus.

Etsi, Tametsi, Quinquàm, Etiam si, modo indicanti
adherent: dum in orationis principio sunt: Quamuis
& Licet subiungenti sæpius: ut Etsi uereor Iudi-

ces, &c. Terentius: Tametsi hoc uerum est. Cicero: Licet mala grauissima impenderint, Reipublicæ non deero.

Quod, præcedit conuentiones autem & uerò: Autem, sequitur porro, & non; id Quod autem, quod uerò: porro autem, non autem.

Uerò, sequitur has dictiones, At, age, enim, iam, nec, neque, nunc, quasi, sanè: & pronomina Ego, Tu, ille: ut At uerò, Age uerò.

Ni, nisi, si, siquidem, quia, utrbis indicantis, & subiuuentis modi iunguntur: ut Mirum ni domi est: Terentius; Pamphilam ergo huc redde, nisi in mauiis eripi.

Ergo, & igitur, breuioribus conclusionibus seruiunt; ut Ergo te omnes iure amant, quia benè natus sis: Igitur tibi gratulor de filio nato. Harum naturam sequuntur, Itaque, ideo, idcirco, proinde, proin, & Quocirca.

Quare, Quapropter, & Quamobrem, longioribus conclusionibus adhibentur.

An, semper interrogat; ut Est ne ille Dialecticus, an Orator: Aut uerò dubitat, ut Nescio, eloquar, aut sileam.

Quam, ac, & atque, sequuntur, aliter, Aequè, non secus, simul, statim, pariter, similiter, alius, similis, idem.

Hæc geminantur, et, et: tum, tum; partim, partim,

tm: simul, simul: ut Tu partim Græcus, partim Latinus fuisti.

Cum in oratione semper antecedit, Tum uerò sequitur: ut, Cum in sermone quotidiano, tum in senatu palam sic egit causam tuam: ut eloquentia maiore nemo agere potuerit.

De Syntaxi figurata.

CUM de propria constructione dixerimus, modo de figurata breuissimè dicemus.

Syntaxis figurata est, quæ à propria discedit, de defectu, excessu, ordine, & immutatione. De defectum demonstrat eclipsis, est autem Eclipsis, necessariæ dictionis in sensu defectus: ut Non differam pluribus, scilicet, uerbis: Recta ad te uenit, hoc est, uia.

Excessum indicat Pleonasmus, fit enim cum superuacuis uerbis oneratur oratio: Virgilius, sic ore locuta est: Cicero, Accipies hoc paruum munusculum.

Ordinem perturbatum efficit Hyperbaton: ut paululum da mihi operæ: Italiam contra.

Verborum immutationem commoustrat Anastrophe: Virgilius; Errabant acti fatis maria omnia circum: pro circum maria.

At figuræ constructionis octo sunt, Appositio, Eucatio, Synthesis, Prolepsis, Synecdoche, Antiptosis, Zeugma, Syllepsis.

- 1 Appositio est figura, qua duo rei nomina in eodem casu manent, sine coniunctione: ut *Urbs Roma; Pluvius Aracoonius: Iesus Christus.*
- 2 Euocatio fit, cum prima vel secunda persona pronominis, tertiam nominis proprii ad se euocatam sui similem facit: ut *Ego Saura docco: Terentius: Vide tu Thais, quam hic rem agit.*
- 3 Synthesis fit, cum suppositum à uerbo discordat numero, ac significatione conuenit: ut *pars abierunt, pro alij: aut quando rei nomen ab appposito dissidet genere: ut Malum mihi esse uidetur mors, hoc est, res mala: Varium & mutabile semper foemina. Hanc frequenter poëtae: raro Historici: nunquam oratores usurpant.*
- 4 Prolepsis est, quando partes totum sequuntur, uerbo non repetito: ut *Milites pugnant, alij pro patria: alij cōtra patriam: Bonorum alia sunt animi, alia corporis, alia fortuna.*
- 5 Synecdoche, dicitur, cum id, quod partis est, toti attribuitur: ut *Crine ruber; niger ore.* Sed poëtae frequentius accusatiuo utuntur.
- 6 Antiptosis erit, cum casus pro casu ponitur: ut *Haeret pede pes: pro pedi: It cœlo clamor: pro in cœlum;* Sed hæc poëtarum propria sunt. Nam id genus: pro, eius generis: *Omne genus: pro, omnis generis; Id temporis, pro, eo tempore; & id ætati, pro ea ætate, Antiptosis est, sed communis omnibus scriptoribus.*

Zeugna

Zeugma fit, cum uerbum, uel nomen adiectiuum ad- 7
ditum multis substantiuis, uni tantum priori iungi-
tur: ut Hic illius arma, Hic currus fuit. Terentius,
Dati annuli, locus, tempus, constitutum est.

At hæc figura trisariam fit, uerbo enim præeunte,
prozeugma dicitur: ut Vicit pudorem libido, timorem
audacia, rationem amentia: Interposito uero uocatur
Mesozeugma: ut Ætate forma deflorescit, aut mor-
bo: subsequente uerbo tamen, Hypozeugma nuncupa-
tur: ut Neq; is tu es Catilina, ut te pudor à turpitudi-
ne, aut metus à periculo, aut ratio à furore reuo-
carit.

Verum ubi comparatio, aut similitudo erit, uer-
bum cum supposito remotiore conueniet: ut Tu uelut
cera liquefcis: Hanc rem ille ita clarè actu, narraffet.
Idem fit ubi occurrit coniunctio nisi; Terentius, Ta-
lem filium nulla, nisi tu, pareret.

Syllepsis fieri solet, quoties uerbum plurale in per- 8
sona tantum cum substantiuo remotiore quidem, sed
prestantiore cōsentit: aut adiectiuum cum substantiuo
in genere & casu: ut Neq; ego neq; tu fecimus: Tu et
ille disputatis.

At persona personæ: genus generi; & numerus nu-
mero præstare, debet: nam prima persona reliquis
preponitur: Secunda soli tertiæ: hæc uero nulli.

Tum genus masculinum, fœminino et Neutro præ-
stat; ut Cicero; Tuilia, & mancipia docti fuerunt.

Et

Et fœmininum, neutro: ut *Cornelia* & *manicipium* sunt candidæ.

Cæterum in rebus inanimatis, cæteris nobilius est neutrum: ut *papyrus*, *penna*, & *atramentum* literatis necessaria sunt.

Tandem numerus pluralis antecellit singulari: ut *Virgilius* in *Bucolicis*: sunt nobis *mitia poma*, *castaneæ molles*, & *præssi copia lactis*.

Et hæc de Syntaxi.

FINIS SYNTAXEOS.



DE ORDINE GRAMMATICO pueris seruando.

ORATIONIS Latine explicandæ hæc quidem erit ratio, pueris ubiq; obseruanda. Si uocatiuus erit, ab eo primùm constructionem sumemus: ac etiam ab aduerbijs uocandi, hortandi, optandi, demonstrandi, & prohibendi: qualia sunt, *Heus*, *Age*, *Eia*, *Vtinam*, *Eccc*, *ne*. Tū ab ijs, *ubi*, *cum*, *dum*, *quando*, *donec*, *hei*, *ue*: orationem ordiri licebit. Hinc uerò ad nominandi casum ueniemus, & huic, si quid ab eo regatur, addemas: hunc proxime sequitur uerbum personale

personale finitum ; deinde illius casus. Iam, aduerbia
uerbis: et adiectiua substantiuis adnectentur. At, si uer-
bum impersonale fuerit, uel infinitum, ab eo, fa-
ciendum erit ordinis grammatici initium,

Et à casu, quem ante se requirit.

Tandem si alia occurrent,
docebit usus.

Vocatiuus. Cicero: Ego uerò Serui, uellem, ut scri-
bis: in meo grauissimo casu affuisses.

Ab aduerbijs,

Vocandi. Terentius, euocate huc Dauum.

Hortandi. Idem: Eia tu, cum proximè res agentur,
quoquomodo adiudicandum ueni.

Optandi; Idem: Utinam cui hic surdus, aut hæc mu-
ta facta sit.

Demonstrandi. Virgilius: Ecce trahebatur passis
Priamcia uirgo crinibus. Prohibendi. Plautus: Ne in-
ra, satis credo.

Ab impersonali: ut Regis interest, urbem seruare in-
columem.

Ab infinito: ut honestam est, diuitem subuenire pau-
peri.

Atq; hætenus de ordine grammatico.

L A V S D E O.